BIBLIOTHECA UNIV. JAGELL. CRACOVIENSIS
Mag. St. Dr.
2807
kat. komp.
TEOLOGIA
I

2807 I
TEOLOGIA

VALERIANI MAGNI Ducatus Mediolanensis

F. Ordinis Minorum Seraphici P. FRANCISCI Nuncupatorum Capuccinnorum.

DE ACATHOLICORUM CREDENDI REGULA JUDICIUM

nec castigatum nec confutatum à

JOHANNE MAIORE Jenensi Superintendente

Mathæi Cap. 18.

Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.

PRAGAE,
Apud Impressores Archiepiscopales.

Anno M. DC. XXXI.

V B G

AD

BEATISSIMAM MARIAM VIRGINEM DEI GENITRICEM.

Auctoris Oratio

TE MARIAM Virginem Domini Nostri Iesu Christi Matrem de legi meorū studiorū Patronam. Tibi omnes meas lucubrationes devovi: & propterea hoc meū de *A Catholicorum Credendi Regula Judicium* tibi dico, & consecro. Tu Virgo piissima intercede apud Filium ut hoc ipsum, quod sum, & possū, disponatur juxta ejusdem Filii tui Domini nostri beneplacitum. AMEN.

APPROBATIO

EGo Frater Hyeronimus Brixinensis Ordinis Minorum nuncupatorum Capuccinorum per Boëmiam, Moraviam, & Austriam Minister Provintialis, potestate ad id mihi facta ab admodum Reverendo Patre Iohanne Maria à Noto ejusdem Ordinis Generali Ministro facultatem concedo, ut Liber, cui titulus JUDICIUM de Acatholicorum Regula credendi, nec castigatum, nec confutatum à Iohanne Majore Jenensi Superintendente. Auctore Patre Valeriano Magno Mediolanensi eiusdem ordinis, Doctorum hominum Judicio approbatus typis mandetur cum facultate Ordinarij. In quorum fidem has literas manu mea subscriptas, & sigillo nostro munitas dedi. Datum Viennæ Austriæ 14. Maij Anno 1631.

F. Hyeronimus Brixinensis.

Imprimatur.

Ernestus Card: ab Harrach
Arch: Pragensis &c.

LECTORI.

EDidi anno 1628. Opuſculum, de Acatholicorum Regula credendi; quod poſt hanc Præfationem denuò impreſſum præmitto; prodijt Confutatio præſumpta à Johanne Majore Jenenſi Superintendente, Anno 1630. quàm (munus Auctoris) accepi 15. Decembris ejusdem anni. Replico hocce libello, quem, præpeditus aliis negotijs diſtuli in hanc diem. Verùm, Amice Lector, volo prius te alloqui ſeorſùm ab illo; quatenus in ipſo diſputationis veſtibulo præmonearis de eo fine, quem intendo. Chriſtiani hac ætate intèr ſe acerrimè diſputant de eſsentialibus Fidei; omnes provocant ad Sacram Scripturam; (quamvis non omnes ad ſolam Sacram Scripturam) ſed verum ſenſum non una, et eadem regula inquirunt. Sunt, qui, in ijs, quæ controvertuntur, ac diſputantur ex Sacris literis, quò ad fidei eſsntialia, nil, velut ab omnibus neceſsariò de fi

de credendum, statuant, nisi Generale Concilium à Romano Pontifice approbatum ex cathedra decernat Sacri textus verum sensum. Sunt, qui judicent Generalis Concilij, Romaniq; Pontificis sententiam ex sacris literis; an videlicet eisdem conveniat. Vter verò ex duobus sit assecutus verum sensum sacri textus, hic homo, an illud generale Concilium? Item cui conveniat de Jure ferre sententiam inappellabilem de vero & conttroverso sensu Sacrarum Scripturarum, singulisne? an generali Concilio? plurimi definire contendunt ex iisdem sacris literis: plerique ex auctoritate conciliorum, etiam & Patrum.

Disputamus hac ratione jam integro seculo, & necdùm finis: imò novæ, & maximè dissentientes sectæ, seu dogmata repullulant.

Mirabar ego, cur non acriore studio nonnulli evoluant ultima, in quæ nostra resolvitur Christiana fides,

des, ſeù prima principia, unde ea deducitur: ſi fortè exinde quibusdam erumpant in patentiorem lucem alia utrinq; conceſsa, quæ diſsidentes Chriſtianos conciliare queant in unicam fidem: quandoquidèm tot ſeculorum ſpatio experiamur, & animaduertamus plures populos, & nationes obcæcari illa litera, quantumuis ſacra. Subijt ergo animo, edito præfato meo opuſculo, ſollicitare, imò urgere plurimos ijs difficultatibus, quas neq; conciliorum, neq; ſacrarum litterarum ſententia enodare quirent: ut vel ſic cogerentur aliundè, hoc eſt, ex remotiore aliquo principio, ſeù ex evidentiore alia veritate argumentari; ratus exindè poſſe dirimi omnem intèr Chriſtianos controverſiam de fidei eſſentialibus. Vide, ſi libet, meum Opuſculum, & notabis convelli fundamenta totius Chriſtianismi, ni objectis aliundé ſatisfiat, quàm ex ſacris literis.

Verùm hactenus ſpatio penè an-

norum triùm, nemo (quem ego noverim) fuit, cui mecum in hanc arenam descendere libuerit, præter Johannem Majorem, qui tamen constituit mihi carceres, quos præterire nefas sit. Circumædificavit adversum me, ut non egrediar; nimirum, in novissima sua epistola ad me exarata, disputandi leges hisce verbis sancit, ac promulgat: *Duello haud me subducam, sed in aciem redibo, ea tamen lege, ut nostra palestra quæstionibus de sensu scripturæ, & quæ ab illo de regula salvificè credendi, ceù certis carceribus includatur &c.* Sed quo Jure mi Johannes? non alio, amice Lector, quàm quod nefas illi videatur Christiano detrectare disputationem ex sacro textu. At negare scripturam longè aliud est, quàm nolle argumenta peti ex sacra scriptura; sed aliunde pro sacræ scripturæ auctoritate confirmanda.

Verùm, quò melius benevolo Lectori meum consilium aperiam, præmitto, quod principia fidei Christia-

næ

næ ſunt triplicia. Quædam ſunt Phyſica, puta naturale ingenium, &, ſecundum Catholicos, ſupernaturalia dona divinitus infuſa. Aliud eſt Theologicum, ideſt auctoritas Dei revelantis. Reliqua dicuntur principia Logica, ſcilicet argumenta illa, in quæ Logicè ultimò reſolvitur Chriſtiana fides: huc ſpectant ea, quæ à nonnullis vocantur motiva fidei: necnon quæ nuncupantur Notæ Eccleſiæ; videlicet Miracula, Antiquitas, Fidei unitas, & ſimilia. Itaq; ſi reſolvamus Fidem alicuius in ſua Phyſica principia, tandem devenimus ad naturales, ac ſupernaturales animi dotes. Sin verò reſolvamus alicuius fidem in ſuum Theologicum principium, dicimus V. g. Petrum credidiſse, non quia caro, & ſanguis revelavit illi, ſed Pater Chriſti, qui eſt in Cælis. At ſi eandem fidem in ſua Logica principia reducimus, longius ratiocinando progredimur; nimirum, undè quis ſciat Deum Patrem

revelaſse Chriſtianam doctrinam? hos libros continere purum Verbũ Dei? hunc cætum eſſe Eccleſiam Chriſti? extitiſse perſonam, quæ vocatur Jeſus à Nazaret? extare Deum? Jeſum miſsum eſſe à Deo Mundi Redemptorem? & alia ejusmodi, quæ gratis non conceduntur à viris cordatis: ſed prius ſuis argumentis logicè ſunt comprobanda. Quod licet à multis fuerit factum, Ego tamen (ſi Deus dederit) cogito de hoc argumento aliquid conſcribere, & publicæ utilitati in lucem dare; volui tamen edito præfato Opuſculo prius experiri, quid ea de re ſentiant Bibliſtæ; quod tamen non ſum aſsecutus; vereorq; multum nè ſuæ cauſæ diffidentes, detrectent hoc diſputandi genus. Hac verò mea animadverſione in confutationem Johannis Majoris illud duntaxat maximè intendo, ut ſincerus Lector intelligat puduiſse Johannem Majorem ſuæ Regulæ

gulæ

gulæ credendi, & erubuiſse Evangelium ſuum, quod propterea obduxit larva, quæ referat, quaſi Catholicam Regulam credendi; qua detracta deprehenditur ipſe Major ſub communi Bibliſtarum Fidei norma. Vale Amicè lector, & Deum ora pro me.

PRÆ-

AD LECTOREM

HAC ÆTATE OMNES Christiani credunt DEO, credunt Christo, credunt & sacris literis; & tamen scinduntur in duas classes: Vna verum sensum sacri textus indubitata Fide exigit, ac recipit ab Ecclesia: hi verò nuncupantur Catholici: Altera, cùm supponat Ecclesiæ auctoritatem in tradenda sacra doctrinâ esse erroribus obnoxiam, docet singulos Christianorum posse ac debere ex sacris literis dijudicare etiam totius Ecclesiæ doctrinam de fide.

Hunc errorem quàm plurimi doctissimi Theologi luculentissimè

con-

confutarunt auctoritatibus sacræ scripturæ, Conciliorum, Patrum, aliisq́; ejusmodi argumentis: Ego verò, de hac questione aliquid scripturus, unum quid duntaxat expono, nimirum, absurda, quæ necessariò insequũtur præfatam Acatholicorum credendi regulam: quod tametsi alij præstiterint, nullus tamen (quod ego sciam) id unicè, & ex professo tractavit. Itaq́; non puto me actum agere, currenti tamen calamo, gravioribus curis implicatus; omnia verò ad honorem, & gloriam Christi, ejusque Sanctissimæ Matris, cui, memor Beneficiorum receptorum, omnes meas, vel exiles Litterarias lucubrationes deuoui. Vale amicè Lector, & DEUM ora pro me.

CAPUT

CAPVT I.

Proponitur Quæstio de Regula credendi.

REgula est instrumentum, secundum quod, qui regulatim ducunt lineas, eas necessariò ducunt rectas, undè illa norma, quàm qui sequuntur non errant in credendo, dicitur Regula credendi.

Omnes autem controversiæ de fide inter Catholicos, & non Catholicos derivantur ab unica Controversia de hac Regula credendi, quæ si semel benè definiatur, necessariò Concilientur omnes Christiani in unam veram fidem.

Sanè omnes Christiani, sivè Catholici, sivè non Catholici, tametsi in multis disentiant ab inuicem, in nonnullis

nullis tamen conveniunt etiam in hac ipſa materia de Regula credendi, quæ quidem per ordinem ſunt exponenda.

1. Primò quidem unanimiter aſſerunt, verbum DEI ſcriptum eſſe certum, & iinfallibile.

2. Nullus hominum, ne Paulus quidem, neque Angelus de Cœlo audiendus eſt, ſi proponat doctrinam contra verbum DEI ſcriptum, id eſt, contra ſacras Litteras.

3. Nullus certò aſſequitur verum ſenſum ſacrarum litterarum, niſi interiûs illuſtratus, & edoctus à Spiritu Sancto.

4. Omnibus, ac ſingulis in negotio fidei indubitanter credendum eſt, ſi non diſcordent à verbo Dei.

3. Nemo poteſt diſcordare à verbo Dei, qui interius illuſtratur, & docetur à Spiritu Sancto.

Cûm autem quòad has ſuprá enumeratas quinque Propoſitiones conſentiant

ſentiant Catholici cùm non Catholicis, ſupereſt quæſtio, Quibusnam certò, & infallibiter aſſiſtat Spiritus Sanctus, ne errent in exponendo vero ſenſu ſacrarum ſcripturarum?

Duo hac ætate de hac Quæſtione Chriſtianorum ſunt Sententiæ;

Prima eſt eorum, qui credunt certò, & indubitanter Eccleſiam proponere Orbi Chriſtiano verum Senſum Sacrarum Literarum, qui verò ſic ſentiunt, ſemper dicti ſunt Catholici.

Secunda eſt aliorum Chriſtianorum, quorum ſinguli Conſulunt Spiritum Sanctum ex Sacris Litteris, ex quibus dijudicant, quænam doctrina conſentiat, quæuè diſſentiat à Verbo DEI ſcripto: hi verò à Catholicis ſemper dicti, & habiti ſunt hæretici.

Horum verò, qui ſic ſentiunt hac ætate, ſunt plures differentiæ, quarum præcipuè ſunt Lutherani, Calviniſtæ, Anabaptiſtæ, &c. quorum extant

tant plurimæ, longeque diversæ sectæ: verum quandoquidem in præfata sententia omnes conveniunt, eatenus deinceps dicantur Biblistæ, eò quod singuli recurrant ad Sacra Biblia implorato Spiritu Sancto, quos nunquam nominabimus Evangelicos, idq; honoris gratia, ne videantur studiosi solius novi Testamenti, sed omnium librorum, qui in Bibliis continentur.

Catholici distinguunt Ecclesiam in duas partes. Altera complectitur Pastores, idest Episcopos, altera Oves, idest reliquos Christi fideles.

Episcoporum verò sunt Jurisdictiones subordinaræ, ita ut plures Episcopi subdantur, uni Archiepiscopo, plures Archiepiscopi, uni Patriarchæ, inter quos omnes Primatum gerit Pontifex Romanus; hi verò considerantur, uel singuli seorsum vel omnes simul legitimè Congregati in Concilio generali. Concilium verò generale consideratur, vel confirmatum à Romano Pontifice, vel non Confirmatū.

Eſt ergò omnium Catholicorũ ſententia, quod Romanus Pontifex cum Concilio Generali, ſeu Generale Cõcilium Confirmatum à Romano Põtifice habeat duas prærogativas, quod nimirũ, Spiritus Sanctus infallibiliter illi aſſiſtat, ita ut impoſſibile ſit quod in decernenda, ac proponenda ſacra doctrina diſſentiat à ſacris Literis. Altera, quod idem Generale Concilium habeat à JESV CHRISTO ſupremam Juriſdictionem docendi in Eccleſia, & conſequenter excommunicandi, & anathemathizandi tanquàm hæreticos omnes, & ſingulos, qui in rebus fidei negent, vel in dubium revocent ejuſmodi generalium Conciliorum decreta concernentia fidem.

Notandum verò eſt, quod Generale Concilium conſulit Spiritum Sanctum, ut aſſequatur verum Senſum Sacrarum Literarum; Cujus rei gratia ſciendum eſt, non ſolum ad Oecumenicum Concilium citari omnes

Epi

Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, sed & Christianorum Principum Legatos, necnon aliquando, & ipsos Reges, & Imperatores convénire ascitis undequaque doctissimis totius orbis Christiani Theologis, & si qui existant Hæresiarchæ, fit eis libera facultas conveniendi; Omnibus verò in Christi nomine congregatis publica indicuntur jeiunia, publicæ preces, non tantum in ipso Oecumenico Concilio, verùm etiam in toto prorsus orbe Christiano; quatenus Spiritus Sancti gratia imploretur à tota Ecclesia. Deinde proponuntur in Generali Concilio emergentes circá Sacram Doctrinam difficultates, singulis non solum Episcopis, sed & inferioris gradus Theologis, neque tantum Catholicis, verùm & ipsis hæresiarchis fit libera dicendi, disputandiq; potestas, diversæq; Sententiæ ultrò citroque agitantur, non quidem una die, sed pluribus sessionibns, &

multo temporis ſpatio, toto circumſpe-ctante Senatu Chriſtianorum Principũ, vel eorundem Legatorum. denique ubi poſt multam conquiſitionem Concilij Patres cum Romano Pontifice conſen-tiunt, & ſubſcribunt in materia fidei, univerſæ Eccleſiæ, totique orbi Chriſti-ano, ejuſmodi decreta intimantur, ana-themathizanturque omnes, & ſinguli, qui eadem negarint, aut in dubium re-vocaverint tametſi eſſent Regali, ſeu Imperiali dignitate inſigniti.

Quod ubi ſemel fit, ipſi Patres, qui Concilio interfuerunt, ſub eodem ana-themate tenentur admittere Decreta il-la concernentia fidem, nulliq; hominũ licet eadem negare, vel in dubium re-vocare, nec ipſi ſummo Pontifici.

Hanc ergò ſupra expoſitam Eccleſiæ auctoritatem omnes Catholici certò credunt eſſe infallibilem, veramque cre-dendi regulam; unde apud Catholicos eſt, Communis propoſitio Credo om-nia, quæ credit Sancta Mater Eccleſia.

Bibliſtæ

Biblistæ verò admittunt nunquam defuisse plurimos inter Chrstianos, qui certò sint assequuti ex sacris Literis, per Spiritus Sancti assistentiam veram sinceramq; Christi doctrinam, seu fidem hos verò dicunt constituere quauis ætate veram Christi Ecclesiam.

Hinc deducunt, & fatentur veram Ecclesiam non posse errare in fide, nunquam verò factum est, neque fiet, quod ab hac vera Ecclesia (quàm nimirum Biblistæ ponunt) quæ errare non potest, dimanarit, aut dimanare possit, vel unicum decretum in materia fidei, ac proinde hæc Ecclesia nunquam congregatur in uno aliquo Generali Concilio, cujus sit decernere citrà errorem, & infallibiliter, quæ sit Christi doctrina, quàm reliqui Christiani citrà ullam inquisitionem recipere teneantur.

Præterea constantissime asserunt omnes plane Christianos, sive singuli seorsum, siue in Generali Concilio congregati considerentur, posse deseri à Spi-

ritu Sancto, atque adeò posse discordare in doctrina fidei à sacris Literis, & errare in fide, Neminem verò putant unquàm deseri a Spiritu Sancto in expendenda dijudicandaq; fidei doctrina ex sacris Literis, si, ut decet, Spiritus Sancti gratiam devotè imploret.

Qui verò a SpirituSancto interius illustrantur, & docentur, id certò, ac infallibiliter animadvertũt, & deprehendunt ex internis proprijs animæ motibus a Spiritu Sancto excitatis, qua ratione ipse Spiritus Sanctus testimonium reddit Spiritui illorũ, quod sunt Filij DEI, cujus unctio docet illos omnem veritatem.

Quæ cum ita sint, in eo tamen modestius sentiunt Biblistæ, quod hi eatenus a Deo illuminati, & edocti non putant se habere ullum jus ad obligandum reliquos Christianos ad acceptandam eam doctrinam, quàm ex sacro Codice Spiritu Sancto dictante

veram dijudicarunt, licet in corde ſuo damnent omnem doctrinam, quæ diſcordat ab illa, quàm ipſi judicant convenire, & concordare cum ſacris Literis, cujus rei eam rationem aſſignant, quod nulli hominũ ſit fidendum, cum omnis homo errare poſſit; quod ſi qui ex interna Spiritus Sancti aſſiſtentia non errant, id non cadit ſub ſenſum, neq; ulli hominum certò conſtare poteſt de alterius interna Spiritus Sancti illuſtratione, ſed propria duntaxat.

Itaque ſi interrogatur Bibliſta; cur credis JESVM Nazarenum eſſe Filium Dei? Reſpondebit; Quia DEVS id revelavit; unde id habes? Reſp: ex ſacris Literis. Vnde noſti hunc eſſe ſenſum ſacrarum Literarum? Reſ: Spiritus Sanctus ita me docuit. Vnde ſcis eſſe Spiritum Sanctum illum, qui te docuit? Reſp: id mea conſcientia teſtatur; ſum enim mihi ipſi cõſcius, quod animæ meæ unctio, & il-

lustratio sit supernaturalis à Spiritu Sancto. Sic sentiunt illi Biblistæ, qui vel umbram fidei adhuc retinent. Cæterum quàm plurimos reperias, qui nullum ausint damnare, & tamen asserunt u. g: non dari Purgatorium, idq; certo sciunt Spiritu Sancto id eis atrestante ex sacris literis, cum tamen interea non damnet erroris eos qui certò asserant dari Purgatorium: hos saniores Biblistæ censent stolidos Asinos, cum quibus nos nullam quæstionem habere volumus.

Hinc verò hanc maximam quæstionem restringimus ad hos terminos. Quæritur, utrum Spiritus Sanctus infallibiliter secernat ex sacro Codice veram à falsa doctrina fidei per Ecclesiæ Pastores in Oecumenico Concilio congregatos, an per singulos Christianos seorsum invocantes, & cousulentes ex sacris literis Spiritum Sanctum?

CAPVT

CAPVT II.

Biblistarum sententia proponitur distincta in aliquas propositiones.

HAnc verò quæstionem de regula credendi nolumus hoc opusculo definire, sed ex Biblistarum sententia nonnullas deducemus consenquentias, quæ videntur absurdæ, nam quod attinet ad Catholicam credendi regulam, ea (ad speciem) supponitur explosa.

Verum, quò evidentiores sint nostræ consequentiæ, quas deducere volumus ex illis antecedentibus, quæ sunt ad mentem Biblistarum, ea omnia antecedentia per subsequentes propositiones per ordinem hoc loco subnectimus; ut, vel ad oculum constet, quâm sincere, & candide hanc questionem tractemus.

PROPOSITIO I.

1. Singuli Christiani possunt errare in fide.

2. Omnia Concilia, imò totius Ecclesiæ Christi Pastores congregati in Concilio Generali, etiam à Romano Pontifice approbato in decretis fidei errare possunt.

3. Singuli Christianorũ si, uti decet, invocaverint SpiritũSanctũ possunt sine errore ex codice sacrarũ Scripturarũ quorumcunque hominũ, etiam Conciliorũ generalĩũ doctrinam expendere à sacris Literis.

4. Non est alia ratio certò cognoscendi veritatem in materia fidei quàm præmissa oratione consulere Spiritum Sanctum ex sacris Literis.

Porrò in subsequentibus consequentijs ex hisce quatuor Biblistarũ assertionibus, petimus ab illis nobis concedi unicã assertionem; videlicet.

5. Fides

5 Fides Christiana excludit omnem dubitationem, & est certa, & infallibilis.

Hic verò notandum est, quod Biblistæ consveverunt primas duas propositiones moderari, dicunt enim neminem errare posse si concordet cùm sacris Literis. Item neminem posse discordare à sacris Literis, si ei adsit Spiritus Sanctus. Item neminem destitui Spiritu Sancto, si eum, uti decet, invocet: at quia Biblistæ fatentur fieri posse, ut aliquis non, uti decet, invocet Spiritum Sanctum, consequenter fieri potest, ut omnes, ac singuli destituantur Spiritu Sancto, & consequenter discordent à Sacris Literis, & errent in fide.

CAPVT III.

Ex præfatis propositionibus deducuntur necessariæ consequentiæ,

tiæ, ex quibus constet quid muneris, quiduè oneris habeant singuli Biblistarum.

QVandoquidem ita res habet, quod singuli Christianorum id muneris, & oneris habent, ut consulant ex sacris literis Spiritum Sanctum de doctrina fidei, expedit acuratius perpendere quorũ sit hoc munus, & ad quænam se extendat, ne in negotio salutis æternæ ex inconsiderantia aliquid negligatur.

CONSEQVENTIA I.

Singuli Christianorum, necnon & Concilia omnia errare possunt in fide. Ergo nullus Christianorum debet in materia fidei ulli hominum, ullisuè Concilijs credere.

Consequentia probatur: Quia fides, ut sit vera, & certa, debet niti auctoritate infallibili: at omnium hominum Conciliorumvè auctoritas supponitur subjecta

jecta erroribus in fide; ergò nulli hominnm credere debent Christiani.

Huic consequentiæ non obest, si dicatur, quod credendum sit Concilijs, nec non & aliis omnibus, si concordet illorum doctrinà cúm sacris literis; nam cúm discordare possit, consulitur ex sacro Codice Spiritus Sanctus, ut certò cognoscamus, num concordet, aut discreper à verbo DEI, quod enim aliqua doctrina conueniat, aut discrepet à Verbo Dei scripto, nulli hominum creditur. sed soli Spiritui Sancto id ex ipsis sacris Literis interius in corde renuntianti.

CONSEQVENTIA II.

Non est alia ratio certò cognoscendi veritarem in materia fidei, quàm præmissa devota oratione consulere ex sacris Literis Spiritum Sanctum, Ergò nullus Christianus potest credere articulos fidei, nisi præmissa oratione Consulat Spiritum Sanctum ex Sacris Literis.

proba-

Probatur, quia omnium Christianorum, sive seorsum accipiantur, siue in unum congregentur, doctrina in materia fidei non potest dijudicari vera, vel falsa, nisi præmissa oratione consulatur Spiritus Sanctus ex sacris Literis; neque Spiritus Sanctus docet ullum Christianum, nisi ex sacris Literis: ac proinde concluditur nullum Christianum posse credere articulos fidei, nisi præmissa oratione consulat Spiritum Sanctum ex Sacris Literis.

Huic verò consequentiæ non obest, si dicatur, quod credimus ministro Ecclesiastico proponenti Verbum DEI, seu doctrinam ex Verbo DEI, nam ille minister potest errare in fide, ac proinde, qui illius doctrinam audit, debet præmissa devota oratione consulere Spiritum Sanctum ex Sacris Literis, ut intelligat, an concordet cum Verbo DEI, nec ne.

CONSEQVENTIA III.

NVllus Christianus potest credere articulos fidei, nisi præmissa oratione consulat Spiritum Sanctum ex sacris Literis. Ergò illi, qui propter ætatem, aut propter defectum sacri codicis, non sciunt, vel eis non vacat legere sacra Biblia, non possunt habere veram fidem.

Probatur, quia non datur alia regula credendi, quàm consulere Spiritum Sanctum ex sacris Literis.

Neque obstat si dicatur quod audiunt Doctores ad id muneris constitutos, nam hi possunt decipi & decipere, quorum Sententia de sensu Sacræ scripturæ à singulis Christianis examinanda est præmissa oratione consultoq; Spiritu Sancto ex sacris Literis.

CONSEQVENTIA IV.

OMnes Christiani, necnon & Generalia Concilia possunt errare in fide. Ergò omnes Christiani, & gene-

generalia Concilia poterant errare etiam in decretis de Canone Sacrorum Librorum.

Probatur quia decretum de Canone sacrorum Librorum concernit materiam fidei, & quidem omnium gravissimam.

Potuit ergò errare Ecclesia quando Anno Domini 494. in Concilio Romanò 70. Episcoporum sub Gelasio 1. factū est decretum de Canone Librorum Canonicorum utriusque testamenti, & exclusi Libri Apocryphi, quorum Catalogum hic subnectimus.

Notitia Librorum Apocryphorum.

Itinerarium Nomine Petri Apostoli, quod appellatur Sancti Clementis Libri 8. Apocryphum.

Actus, nomine Andreæ Apostoli Apocryphi

Actus, nomine Thomæ Apostoli Apocryphi.

Actus,

Actus, nomine, Petri Apostoli Apocryphi.

Actus, nomine Philippi, Apocryphi.

Evangelium, nomine Thadei, Apoc:

Evangelium, nomine Matthiæ, Apoc:

Evangelium, nomine Petri Apostoli, Apocryphum.

Evangelium, nomine Jacobi minoris Apocryphum.

Evangelium, nomine Barnabæ, Apo:

Evangelinm, nomine Thomæ, quo utuntur Manichæi Apocryphum,

Evangelium, nomine Bartholomei Apostoli, Apocryphum.

Evangelium, nomine Andreæ Apostoli Apocryphum.

Evangelia, quæ falsavit Lucianus, Apocryphum.

Liber, de Infantia Salvatoris, Apoc:

Evangelia, quæ falsavit Hesychius, Apocryphum.

Liber de Nativitate Salvatoris, & de Maria, & obstetrice Apocryphus.

Liber, qui appellatur Pastoris, Apoc:

Libri omnes, quos fecit Leucius discipulus Diaboli, Apocryphi.
Liber, qui appellatur fundamentum Apocryph:
Liber, qui appellatur Thesaurus, Apocryph:
Liber, de filiabus Adæ Geneseos, Ap:
Centimetrum de Christo, Virgilianis Versibus Compaginatum, Apoc:
Liber, qui appellatur actus Teclæ, & Pauli Apostoli Apocryphus.
Liber, qui appellatur nepotis, Apoc:
Liber Proverbiorum, qui ab Hæreticis conscriptus, & Sancti Sixti nomine prænotatus est.
Revelatio, quæ appellatur Pauli Apostoli, Apocrypha.
Revelatio, quæ appellatur Thomæ Apostoli, Apocrypha.
Revelatio, quæ appellatur Stephani, Apocrypha.
Liber, qui appellatur transitus, idest Assumptio Beatæ Mariæ, Apocry:
Liber, qui appellatur pœnitentia Adæ,

Adæ Apocryphus.

Liber Ogiæ, nomine Gigantis, qui ab Hæreticis cum Dracone, post diluvium pugnasse perhibetur, Apocryph:

Liber, qui appellatur testamentum, Apocryphus

Liber, qui appellatur pœnitentia Ori genis, Apocryphus.

Liber, qui appellatur pœnitentia S. Cypriani, Apocryphus.

Liber, qui appellatur pœnitentia Jam nis, & Mambræ Apocryphus.

Liber, qui appellatur Sortes Apostolorum, Apocryphus.

Liber, qui appellatur laus Apostolorum, Apocryphus &c.

Porrò hoc Decretum non solum particulares homines, sed subsequentia Generalia Concilia acceptarunt, qui omnes si possunt errare in fide, poterant etiam errare in Decreto de Canone Librorum Sacrorũ, quocircá dubitandum esset utrum u. g. ali-

qua Evangelia sacra damnarint, & apocrypha acceptarint.

CONSEQVENTIA V.

PAtres & Concilia potuerunt errare in decreto de Canone Librorũ Sacrorum. Ergò nullus Christianus potest certò scire, illos Libros, qui in Bibliis continentur esse à Spiritu Sancto dictatos, nisi de hac quæstione præmissa oratione consulat Spiritum Sanctum ex ijsdem libris, qui continentur in Biblijs, & revocantur in dubium sint ne, à Spiritu Sancto nec ne.

Probatur; quia hæc quæstio cùm sit de verbo DEI, maximè omniũ pertinet ad fidem, ac proindè non potest determinari, nisi præmissa oratione quilibet ex sacris Bibliis consulat de illa Spiritum Sanctum.

Huic consequentiæ non obstat, quòd de quibusdam Libris constet ex omnium sententia, quod sint à Spiritu

tu Sancto dictati, nam illi omnes errare possunt: præterea negatur omnes convenire in unam sententiam, nam de versionibus, de editionibus Bibliorum est magna difficultas, nec non & de multis libris sacris.

CONSEQVENTIA VI.

NVllus Christianus potest certò scire libros, qui in Bibliis continentur, esse à Spiritu Sanctò dictatos, nisi de hac quæstione præmissa oratione consulat Spiritum Sanctum, ex ijsdem Biblijs: ergò singuli Christianorum, sub pœna mortis æternæ tenentur præmissa oratione, & consulto Spiritu Sancto hanc maximam quæstionem determinare.

Probatur, quia cum nulla sit Christianis concessa regula credendi, nisi consulendo Spiritum Sanctum ex Verbo DEI scripto, cum, inquam, fides sit necessaria ad evitandam mortem æternam, evidentissimè sequitur

ſingulos Chriſtianorum obligari ſub pœna mortis æternæ conſulere Spiritum Sanctum ex Bibliis, utrum libri in illis contenti ſint à Spiritu Sancto dictati, nec ne, alioquin nõ poterunt intelligere ex ſacris Literis quid credere teneantur, ſi ſuperſit dubium, num libri in Bibliis contenti ſint ſacri, nec ne.

CONSEQVENTIA VII.

SInguli Chriſtianorum ſub pœna mortis æternæ tenentur præmiſſa oratione conſulere Spiritum Sanctũ ex Bibliis, an libri omnes, ac ſinguli, qui in ijſdem Biblijs continentur ſint à Spiritu Sancto dictati. Ergò ſinguli Chriſtianorum tenentur ſub pœna mortis æternæ perlegere omnes, ac ſingulos libros utriuſq; teſtamenti, diverſaſq; editiones Bibliorum, verſioneſq; ab Hebraico, ac Græco idiomate in Latinum, Germanicum, ac Bohemicũ accuratiſſimè diſquire-

re, & ad invicem collationare, ac tandem definire de Canone Librorum sacrorum, de versione, & editione emendatissima, ut ex illa depromant Biblistæ omnes fidei articulos.

Probatur; nam hæc omnia sunt necessaria ad dirimendam hanc maximam quæstionem (nisi Spiritus Sanctus aliundè, quàm ex Bibliis doceat) quibusnam Libris contineatur verbum DEI: at supra de Biblistarum sententia constat Spiritum Sanctum sic esse judicem controversiarum fidei, ut tamē non judicet, seu nos non doceat, nisi ex Verbo DEI scripto, quod, secundum illos, est unica norma Judicis controversiarum fidei.

CONSEQVENTIA VIII.

NVllus Christianus potest articulos fidei credere, nisi præmissa oratione consulat Spiritum Sanctum ex sacris literis. Ergò quilibet Christianus obligatur sub pœna mor

tis æternæ præmiſsa oratione ex ſacris libris Spiritum Sanctum conſulere de omnibus, quæ ſpectant ad fidei integritatem.

Probatur, quia cum non detùr alia regula credendi, quàm conſulere Spiritum Sanctum ex ſacris Literis, eò, quod omnia Concilia, & ſinguli hominum errare poſſint, cum inquam fides ſit neceſſaria ad acquirendam vitam æternam, evitandamq́; mortem æternam, evidentiſſimè ſequitur, quod omnes Chriſtiani, ſub pœna mortis æternæ obligantur præmiſsa oratione conſulere Spiritum Sanctum de omnibus, quæ ſpectant ad fidei integritatem.

CONSEQVENTIA IX.

QVilibet Chriſtianus obligatur ſub pœna mortis æternæ præmiſſa oratione ex ſacris Literis Spiritum Sanctum conſulere de omnibus, quæ ſpectant ad fidei integritatem. Ergò quilibet

quilibet Christianus sub pœna mortis æternæ tenetur præmissa oratione, consultoque Spiritu Sancto ex sacris Literis definite controversias de notis veræ Ecclesiæ, deque Jurisdictione Ecclesiastica, de Primatu Romani Pontificis, de Traditionibus divinis, de numero Sacramentorum, de possibilitate legis observandæ, de justificatione, & de aliis propè innumeris.

Probatur, quia hæc omnia pertinent ad fidei integritatem, ut per se constat. Neque sufficit, quod Biblistæ ista audiant ex Concione, vel legant ex Catechismo, vel ex Confessione Augustana, aut institutionibus Calvini, nam Lutherus, Calvinus, Concionatores, Cathechistæ, Confessionistæ omnes possunt discordare à sacris Literis, omnes possunt errare in fide, nulli certò credendum, audiendi quidem, ità tamen, ut singuli Biblistarum præmissa oratione con-

sulant ex sacris literis Spiritum Sanctum, num illorum, aliorumve quorumcunq; doctrina conveniat, aut discordet à Verbo DEI scripto, alioquin impossibile est illos habere veram fidem.

CONSEQVENTIA X.

SInguli Christianorum sub pœna mortis æternæ tenentur præmissa oratione consulere ex Biblijs Spiritum Sanctum de numero, versione, integritate, & editione Sacrorum utriusq; testamenti Librorum, nec non, & de omnibus controversijs, quæ spectant ad fidei integritatem. Ergò viri, mulieres, Adolescentes, docti pariter, & indocti cujussuis sint conditionis tenentur sub pœna mortis æternæ singuli seorsum præmissa oratione ex Biblijs consulere Spiritum Sanctum de numero, versione, integritate, & editione sacrorum utriusque testamenti Librorum, nec

non

non & de omnibus controversijs, quæ spectant ad fidei integritatem.

Probatur, quia viri, mulieres, Adolescentes, cujusuis conditionis sunt homines & (nisi pueri aut mente capti) tenentur sub pœna mortis æternæ habere veram fidem, cujus habendæ nulla est alia regula, quàm præmissa oratione, uti supra, consulere Spiritum Sanctum ex Sacris Literis. Neqne huic consequentiæ obstat, quod singuli Christiani possint concipere fidem ex auditu, aut legendo Catechismum, & alia ejusmodi, nam hi omnes errare possunt, ac propterea consulendus est quàm devotissimè Spiritus Sanctus ex sacris literis, ut certissimè intelligamus, an illorum doctrina concordet, aut discordet à Verbo DEI scripto.

CONSEQVENTIA XI.

SInguli Christianorum adultorum cujusuis sexus, aut conditionis exi-

stant

ſtant (excipe pueros & mente captos) tenentur ſub pœna mortis æternæ ex ſacris literis præmiſſa devota oratione conſulere Spiritum Sanctum de numero, integritate, verſione, & editione ſacrorum utriuſque teſtamenti Librorum, nec non & de omnibus controverſijs, quæ ſpectant ad fidei integritatem. Ergò, ſinguli Chriſtianorum adultorum, cujuſuis ſexus, & conditionis exiſtant, tenentur ſub pœna mortis æternæ non longè minorem fidei controverſiarum molem definire, quàm quas Eccleſia Chriſti ab Apoſtolorum ætate ad hæc tempora in tot Conciliis definivit.

Probatur, quia totis 1500. plus annis in orbe Chriſtiano diſputatum, ac definitum eſt de controverſijs fidei, quæ ad fidei integritatem ſpectabant.

Hiſce autem decem conſequentiis colligere licet quid oneris, quidvè muneris ſibi aſſumant ſinguli Bibliſtarum.

CAPVT IV

Deducuntur aliæ Consequentiæ, unde constat, quænam media & adminicula habeant singuli Biblistarum, ut muneri & oneri suo satisfaciant.

VErum hoc loco non considerabimus Biblistarum cujusuis sexus, ætatis, ac conditionis, ingenium, eruditionem, otium, cæteraq; humana auxilia, sine quibus non est possibile præmissa oratione consulere Spiritum Sanctum ex sacris Literis, ac definire omnes controversias spectantes ad fidei nostræ integritatem, quas spatio annorum plus 1500 disputavit, ac definivit Ecclesia Christi: ipsi viderint, quod singuli hominum

num habeant ingenium, quam eruditionem, quod otium: nos verò intereà supponamus Biblistas omnes necnon & singulos Christianos habere ingenium, eruditionem, & otium, nec non & libros necessarios: illud modo inquirimus ex Biblistarum regula credendi, quale nam certum, & infallibile habeant fidei fundamentum.

CONSEQVENTIA I.

NVllus Christianus habet aliam credendi regulam, quàm præmissa devota oratione consulere Spiritum Sanctum ex sacris literis, quid sibi sit credendum in materia fidei nostræ. Ergò fides Christiana nititur tribus fundamentis, videlicet, oratione, Spiritu Sancto, & Biblijs sacris, Ita ut Spiritus Sanctus sit Judex omnium controversiarum fidei; Biblia sacra sint norma, sine qua ille Judex non docet nos in materia fidei;

dei; Oratio verò conditio sine qua Spiritus Sanctus non instruit certò nos ex Biblijs sacris.

Hæc consequentia nulla indiget probatione, quia per se patet ex assertionibus Biblistarum.

CONSEQVENTIA II.

Regula credendi non est alia, quàm præmissa oratione consulere ex sacris literis Spiritum Sanctum.

Ergò Illustratio mentis, seu divini, supernaturales que motus, quos Spiritus sanctus excitat in mente Biblistarum præmissa oratione consulentium ex sacris Literis Spiritum sanctum sunt argumentum, unde certò colligunt se doceri à Spiritu sancto verum sensum sacrarum literarum.

Probatur: nam tametsi fidei certitudo fundetur in auctoritate DEI revelantis, tamen quod hæc Biblia contineat verbum DEI purum quodvè hæc sit vera sacrarum literarum

inter-

interpretatio, nemò poteſt ſcire certò & infallibiliter niſi per teſtimonium quod ea de re nobis ex ſacris literis reddit Spiritus ſanctus, quod teſtimonium vel eſt mentis noſtræ ſupernaturalis illuſtratio, vel alius motus divinus ab eodem Spiritu: ex quo certò, ac infallibiliter quilibet cognoſcere poſſit, quod Spiritus ſanctus intus doceat ex ſacris literis.

Neque huic conſequentiæ obeſt ſi dicatur, quod ſacer textus ſit vel per ſe clarus, vel quod unus textus alium textum clariſſimè elucidet, nam hoc dato tollitur præſuppoſita, & utrinque conceſſa neceſſitas internæ unctionis à Spiritu ſancto, quæ neceſſariò includit ſupernaturalem aliquam mentis illuſtrationem, ſeu alium motum divinum in anima quo ipſe Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſummus Filij DEI, ſed planè ridiculum eſt aſſerere ſacra Biblia habere ſenſum cuilibet facile obvium

cùm

cùm totis mille quingentis plus annis per totum orbem terrarum diſputatum ſit de verò ſenſu ſacrarum literarum, & etiam num diſputatur, diſputabiturquè uſque ad diem Juditij.

CONSEQVENTIA III.

ILluſtratio mentis, ſeu divini ſupernaturalesq; motus, quos Spiritus Sanctus excitat in mente Bibliſtarum, præmiſſa oratione conſulentium ex ſacris literis Spiritum Sanctum, ſunt argumentum, unde certò colligunt ſe doceri à Spiritu Sancto verum ſenſum ſacrarum Literarum. Ergò ejuſmodi motus neceſſariò debent eſſe maxime divini, certi, & indubitati, quò ſine ulla formidine erroris u. g. quælibet muliercula audeat, poſſit, & teneatur ſub pœna mortis æternæ conſtantius credere ſe certiùs edoctam ex ſacris lirteris à Spiritu Sancto, quàm omnes totius Eccleſiæ Chriſti Paſtores congregati in generali Concilio à Romano Pontifice approbato. D Pro-

Probatur, quia quilibet Christianus adultus cujusuis sexus, ætatis, & conditionis (excipe pueros & fatuos) tenetur sub pœna mortis æternæ, præmissa oratione consulere Spiritum Sanctum ex sacris Literis, utrum decretũ totiùs Ecclesiæi in generali Concilio[1], uti supra congregato concordet, aut discordet à sacris Literis.

Huic verò consequentiæ non obstat, quod dicere solent Biblistæ, nimirum, Cõcilium generale non posse errare si concordet cum sacris literis, nam simul concedũt posse discordare, & quemlibet Christianum debere ex sacris Literis consulere Spiritum Sanctum, num concordet, aut discordet.

Neque obstat quod Biblistæ approbent prima quatuor generalia Concilia, nam propterea approbant, quia consulto Spiritu Sancto ex sacris literis, censent non discrepare à Verbo Dei scripto, neque minor est aucto-

ritas

ritas approbare ex sacris literis Concilij doctrinã, quàm reprobare, nam dum Biblistæ approbant prima quatuor Concilia generalia, non nituntur auctoritate Conciliorum generalium, quasi errare non possint, sed testimonio Spiritus Sancti, cujus motus admirabiles, ac divinissimos persentiscunt singuli in sua anima, unde infallibiliter conijciunt se à Spiritu Sancto doceri, dum ex sacris literis judicant de Decretis quatuor Conciliorum generalium, quod concordent cum sacris literis.

CONSEQVENTIA IV.

MOtus à DEO excitatus in mente Biblistarum consulentium ex sacris literis Spiritum Sanctum, est certò, & indubitatè divinus, adeò ut quilibet Biblista teneatur sub pœna mortis æternæ constantissimè credere se certius edoctũ à Spiritu Sancto, quàm totius Ecclesiæ Christi Pastores con-

gregati in Generali Concilio à Romano Pontifice approbato. Ergò Biblistæ nimium præsumunt de Spiritu Sancto.

Probatur per comparationem, & antithesin inter unum Biblistam, & unum generale Concilium.

Supponimus autem, ut supra monuimus, generalia Concilia sic celebrari. Cùm fideles in controversià de re gravi fidem concernente scinduntur periculosè in sectas, indicitur Concilium generale omnium Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum totius Ecclesiæ, Principes verò Politici ex suis ditionibus mittunt doctissimos, quos norũt, Theologos; prætereà vel ipsi Principes, Reges, & Imperatores conveniunt, vel legatos mittunt. Hi verò omnes in nomine Christi congregantur.

Prætereà à singulis Episcopis in propria Diœcesi, & à summo Pontifice in toto orbe Christiano indicuntur publicæ preces, & supplicationes, ac jejunia, ut divina providentia per Spiritum Sanctum

Patri-

Patribus in Concilio congregatis, certò & infallibiliter aſſiſtat, ipſi verò Concilij Patres in id quoque incumbũt ut eandem Spiritus Sancti aſſiſtentiã, jeiunijs, orationibus, & Sancta converſatione promereantur. v. g. Patres Tridentinæ ſynodi ea de re ſeſſione 2. fecerunt Decretum, quod hic ad litteram apponendum duxi.

Sacroſancta Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, in ea præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis, agnoſcens cum Beato Jacobo Apoſtolo, quod omne datum optimum & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, qui ijs, qui poſtulant à ſe ſapientiam, dat omnibus affluenter, & non improperat eis, & ſimul ſciens, quod initium Sapientiæ eſt timor Domini, ſtatuit, & decrevit, omnes, & ſingulos Chriſti fideles in Civitate Tridentina Congregatos exhortandos eſſe, prout exhortantur, ut ſe à malis, & peccatis hactenus commiſſis

emendare, ac de cætero in timore Domini ambulare, & desideria carnis non perficere, orationibus instare, sæpius confiteri, Eucharistiæ Sacramentum sumere, Ecclesias frequentare, præcepta deniq; Dominica quantum quisque poterit adimplere, nec non quotidie pro Pace Principum Christianorum, & unitate Ecclesiæ privatim orare velint: Episcopos verò, & quoscumq; alios in ordine Sacerdotali constitutos, Oecumenicum Concilium in ea Civitate concelebrantes, ut assiduè in Dei laudibus incumbere, hostias, laudes, & preces offerre, sacrificium missæ quolibet saltem die Dominico, in quo DEUS lucem condidit, & à mortuis resurrexit, ac Spiritum Sanctum in discipulos infudit peragere satagant, facientes sicut idem Spiritus Sanctus per Apostolum præcipit obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro Sanctissimo Domino

No-

Nostro Papa, pro Imperatore, pro Regibus & cæteris, qui in sublimitate constituti sunt, & pro omnibus hominibus, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, pace fruamur, & fidei incrementa videamus: præterea hortatur ut jejunent saltem singulis sextis ferijs in memoriam passionis Domini, & eleemosinas pauperibus erogēt, in Ecclesia autem Cathedrali singulis quintis ferijs celebretur missa de Spiritu Sancto, cum Litanijs, & alijs orationibus ad hoc institutis: in alijs verò Eccesijs eadem die dicantur ad minus Litaniæ, & orationes: tempore autē, quo sacra peraguntur, collocutiones, & confabulationes non fiant, sed ore & animo celebranti assistant. Et quoniam oportet Episcopos esse irrepræhensibiles, sobrios, castos, domui suæ bene præpositos, hortatur etiam, ut ante omnia quilibet in mensa servet sobrietatem, moderationemq; ciborum; deinde cum

in eo loco sæpè otiosi sermones oriri soleant, ut in ipsorum Episcoporum mensis divinarum scripturarum lectio admisceatur, familiares verò suos unusquisque instiruat, & erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemi, & voluptatum amatores, vitia demum fugiant, & virtutes amplectantur, & in vestitu, & cultu, & omnibus actis honestatem præferant, sicuti decet ministros misteriorum DEI. Ad hæc, cum huius Sacrosancti Concilij præcipua cura, sollicitudo, & intentio sit, ut propulsatis hæresum tenebris, quæ per tot annos operuerunt terram, Catholicæ veritatis lux, JESV CHRISTO, qui vera lux est annuente, candor puritasq; refulgeat, & ea, quæ reformatione egent, reformentur.

Ipsa Synodus hortatur omnes Catholicos hic cōgregatos, & cōgregandos, atq; eos præsertim, qui sacrarum Litterarum peritiam habent, ut sedula meditatione diligenter secum ipsi cogitent, quibus potissimum vijs, & modis ipsius Synodi inten-

intentio dirigi,& optatum effectum sortiri possit, quò maturius, & consultius damnari damnanda, & probanda probari queant, ut per totum orbem omnes uno ore, & eadem fidei Confessione glorificent DEVM, & Patrem Domini nostri IESV CHRISTI.

In sententijs verò dicendis, juxta Toletani Concilij statutum, in loco benedictionis, confitentibus Domini Sacerdotibus, nullus debeat aut immodestis vocibus perstrepere, aut tumultibus perturbare, nullis etiam falsis, vanisvè, aut obstinatis disceptationibus contendere; sed, quidquid dicatur, sic mitissima verborum probatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti Judicij acies perturbato animo inflectatur &c. Hæc illi Partes.

Porrò tantus totius orbis Christiani apparatus in eum finem, ut fides Christiana pura, certa, & illibata servetur, neve error subrepat in exponendo aliquo sacrarum literarum textu, non una

hora, neque una die, ſed per multos menſes protrahitur, & per ordinatiſſimas ſeſſiones, diſputationes, lucubrationes, continuamque Spiritus Sancti implorationem tandem ad optatum finem perveniunt Concilij Patres: & facto, ac ſingulorum manu ſubſcripto decreto in materia Fidei, anathema pronunciant in omnes, qui contra dicere auſi fuerint, accedente nimirum Romani Pontificis auctoritate.

Hiſce autem eatenus præmiſſis, comparetur unus Bibliſta cum uno generali Concilio.

Hic Bibliſta eſt una Perſona. Patres Concilij ſunt quàm plurimi.

Hic Bibliſta eſt una Ovis, id eſt nō Epiſcopus. Patres Concilij ſunt Paſtores, & Epiſcopi.

Hic Bibliſta ſolus orat. Pro Concilio orant omnes, qui Concilio inter ſunt, necnon totus Chriſtianus orbis.

HicBibliſta orat privatim. Pro Patribus

tribus Concilij fiunt per totum Christianum orbem publicæ preces, jeiunia, & supplicationes,

Hic Biblista sit una muliercula rudis. Illi qui Concilio intersunt sunt doctissimi hominum, quos habeat Christianus orbis.

Hic Biblista evoluit suum Codicem, & unum vel alterum, duntaxat, textum confert cum alijs textibus sacræ scripturæ. Illi Concilij Patres, post multorum annorum studia, indefessis studijs, lucubrationibus, disceptationibus publicis, & privatis, per plurimas sessiones, post imploratam Spiritus a sancti gratiā, ad extremam diligentiam nihil reliqui fecisse videntur, ut verum Spiritus Sancti sensum assequantur.

Denique hic Biblista sibi duntaxat decernit ex Biblia quid ipse credere debeat; at Concilij Patres, tanquàm Judices anathema pronunti-

ant

ant in omnes, qui secùs sentiant.

Porrò hæc comparatio fit inter unum Biblistam, & unum Concilium Generale, quid verò sentiendum sit, si unicum Biblistam, puta, mulierculam aliquam opponamus omnibus Concilijs Generalibus hactenus in Ecclesia, ab anno 456. celebratis post Chalcedonense, quod fuit quartum Oecumenicum, nam videntur acceptare prima quatuor Generalia Concilia ipsi Biblistæ, si non pudeat, dicant, nimirum se (ut quàm modestissime loquamur) nimium præsumere de Spiritus sancti assistentia.

Huic autem consequentiæ non obstat, quod non unicus, sed innumeri Biblistæ tot Concilia generalia reprobent, tanquam scripturæ sacræ adversantia, nam nullus Biblista ulli hominum credit, audiunt quidem quid doceant, sed nulli credunt, nisi consulant Spiritum sanctum ex sacris Literis, ac proindè singuli Biblistarum, sine Sociorum auctoritate, sed ex præsumpta infallibili assisten-

tia

tia Spiritus ſancti reprobant omnia generalia Concilia celebrata ab anno 456. uſque ab hanc diem, priora verò quatuor nonnulli approbant. Sed quid dico? ſinguli Bibliſtarum ſingulis momentis dijudicant totius orbis Chriſtiani doctrinam de fide.

Porrò ex hiſce conſequentijs patet fundamentum, à quo certitudo fidei Bibliſtarum dependet, nil aliud eſſe quàm diviniſſimos quoſdam motus in anima cujuslibet Bibliſtæ excitatos, unde certò, & infallibiliter conijciunt, ſe à Spiritu ſancto doceri ex ſacris literis; quanta verò ſit divinitas horum motuum, ſeu illius unctionis, qua Bibliſtæ docentur à Spiritu ſaucto; licet qualitercunque cõjecturare ex præfatis conſequentijs: Itaque cum ſinguli Bibliſtarum tantum muneris, & oneris habeant, ut ſub pœna mortis æternæ teneantur definire omnes controverſias, quæ ad fidei integritatem ſpectant, duo præſidia habent, quibus tento munere, defungantur, videlicet

delicet Codicem Bibliorum, & orationis studium: exindè verò certò, & infallibiliter accipiunt Spiritum sanctum, qui in mente Biblistarum sedens pro tribunali dijudicat de omni doctrina, & Codice Bibliorum, ipsi verò Biblistæ persentiscunt certissimè, & indubitanter Sancti Spiritus sententiam in intimis animæ visceribus luculentissime prolatam, quod illis adeó compertum est, ut malint credere Spiritum Sanctum deservisse omnes Concilij Patres à plus mille annis, quàm quod ipsi deserantur ab illo Spiritu. Certè non fecit DEVS taliter omni nationi, & judicia suá non manifestavit eis.

CAPVT V.

Deducuntur aliæ necessariæ Consequentiæ; unde constet

qualis

qualis nam sit Ecclesiæ Christianorum in unum cœtum collecta, ex Biblistarum regula credendi.

NVnc verò oportet ex Biblistarum regula credendi demonstrare, qualis sit Ecclesia Christi, non quidem improbando vel ipsam regulam credendi, vel consequentias, quas inde deducimus, sed tantummodò enumerando, & exponendo consequentias, ex quibus constabit, qualisnã sit Ecclesia Christi ad mentem Biblistarum.

CONSEQVENTIA I.

NVllus Christianus ulli hominum (sivè singuli seorsum, sive in Cõcilio congregati considerentur) credere tenentur in materia fidei, nisi consulto Spiritu Sancto ex sacris Biblijs intelligat propositam doctrinam

nam de fide concordare cum ſacris literis. Ergò ſinguli putant, illos ſolum Bibliſtarum conſtituere veram Eccleſiam Chriſti, qui eam de fide doctrinam profitentur, quàm quis implorato, ac conſulto Spiritu ſancto ex ſacris literis judicat ſacræ ſcripturæ conformem.

Probatur conſequentia, quia ſi alicujus doctrina, conſulto Spiritu ſancto ex ſacris literis cenſetur diſcordare á verbo DEI, neceſſariò hæreſis damnandus, qui talem doctrinam mordicus profitetur.

CONSEQVENTIA II.

SInguli Bibliſtarum putant ſolos illos Chriſtianos conſtituere veram Eccleſiam Chriſti, qui eam de fide doctrinam profitentur, quàm quis implorato, & conſulto Spiritu ſancto ex ſacris literis judicat ſacræ ſcripturæ conformem. Ergò tot erunt putativæ Eccleſiæ Chriſti, quot ſunt Capita Chriſtianorum, qui implorato, ac conſulto Spiritu ſancto contradictoria credunt in doctrina fidei.

Id ve-

Id verò nulla indiget probatione cùm consequentia fit per se clara, solummodo supponitur, illam dici unam Ecclesiam, in quâ est una fides.

CONSEQVENTIA III.

TOt sunt putativæ Ecclesiæ CHRISTI, quot sunt Capita Christianorum, qui implorato, ac consulto Spiritu Sancto ex sacris literis contradictoria credunt in doctrina fidei. Ergò nullum exstat publicum juditium in orbe Christiano, quo secernatur unica vera Christi Ecclesia ab innumeris falsò putatis Christi Ecclesijs.

Probatur, quia nulla extat credendi regula, quàm privatum, & in cujusuis anima reconditum Spiritus Sancti de sacrarum literarum sensu testimonium, quò quis unctus, certò sibi persvadeat, se edoctum à Spiritu Sancto.

CONSEQVENTIA IV.

NVllus Christianus ulli hominum, sive singuli seorsum, sive congregati in generali Concilio considerentur, credere tenetur in materia fidei, nisi implorato, & consulto SpirituSancto ex sacris literis, intelligat propositam doctrinam de fide, concordare cùm sacro textu. Ergò nullus Christianus, vel Christianorum cœtus exstat, qui eam habeat docendi jurisdictionem, per quàm alij Christiani teneantur credere in materia fidei.

Hæc consequentia est tam clara, ut nulla egeat probatione, nam non obstat, quod teneantur illis Doctoribus credere, qui non discordant à sacris literis, nam non creditur ulli hominum, quod aliqua doctrina non discordet à sacris literis, sed ea de re á singulis Christianis consulitur ex sacris literis SpiritusSanctus, quo interius docente, judicamus quorum-

cumq;

cumq; hominum doctrinam, concordare, vel discordare à sacris literis, ac proinde nullus est, qui habeat eam Jurisdictionem docendi, per quàm alij teneantur credere sibi, sed fortassis tenentur audire, postea examinarè, & consulere, uti suprá, Spiritum sanctum.

CONSEQVENTIA V

NVllus extat vel Christianus, vel Christianorum cœtus, qui eam habeat docendi Jurisdictionem, per quàm alij Christianorum teneantur alteri credere in materia fidei. Ergò nulla extat Jurisdictio Ecclesiastica, videlicet concionandi, Sacramenta administrandi, leges Ecclesiasticas condendi, Judicia Ecclesiastica exercendi, quàm singuli Christiani, antequam eam Jurisdictionem subeant, non teneantur prius implorato, ac consulto ex sactis literis Spiritu Sancto dijudicare justam, cui subijcian-

tur, vel injuſtam cujus jugum, ſi poſſunt excutiant.

Probatur, quia Juriſdictio concionandi, Sacramenta adminiſtrandi, leges Eccleſiaſticas condendi manifeſtè concernit fidem, Judicia verò Eccleſiaſtica ſupponunt Judicem non hæreticum: at per ſupradicta omnes quæſtiones de fide tandem debet à ſingulis Chriſtianis implorato, ac conſulto Spiritu Sancto definiri ex ſacris literis, & conſequenter ſi quiſpiam verbum Dei proponat, Sacramenta adminiſtret, leges Eccleſiaſticas ferat, vel Eccleſiaſticum Judicem agat, conſulendus eſt à ſingulis Spiritus Sanctus, & ex ſacris literis dijudicanda horum doctrina, Sacramenta, leges, & judicia, quæ ſi diſcordent à Verbo Dei, non ſunt audiendi, neque ulli parendum eſt.

CONSEQVENTIA VI.

Nulla

NVllas exstat Jurisdictio Ecclesiastica, videlicet concionandi, Sacramenta administrandi, leges Ecclesiasticas condendi, Judicia Ecclesiastica exercendi, quàm singuli Christiani, antequam eam Jurisdictionem subeant, non teneantur prius implorato, ac consulto ex sacris literis Spiritu Sancto dijudicare justam, cui subijciantur, vel injustam, cujus jugum, si possunt excutiant. Ergò tota Jurisdictio Ecclesiastica, atque adeò tota Christi Ecclesia subijcitur turbulentissimæ quorumcumq; Christianorum libidini, & inscitiæ, sub prætextu internæ unctionis, qua singuli jactant se doceri ex sacris literis à Spiritu Sancto (ut ajunt) devotissimè implorato.

Probatur. Primò, quia nullus extat Biblista, qui hæresis non damnet innumeros alios Biblistas u. g. unus Lutheranus putat errare in fide omnes Calvinistas, Hussitas, Anabaptistas,

ſtas,neque unus Lutheranus conſentit in fide cum omnibus alijs Lutheranis, ſed fermè quot capita, tot extant de fide illorum ſententiæ,tametſi ſinguli Bibliſtarum, cujuſcumque ſectæ certò ſibi perſvadeant, ſe edoctos ex ſacris literis à Spiritu Sancto.

2. Sæpiſſimè contingit,immò vix extare puto adeò multos Bibliſtas, qui ſæpius implorato, ac conſulto ex ſacris literis SpirituSancto contradictorias ſententias ſucceſſu temporis ex illo Spiritu, quo afflantur, non ſuſceperint. u. g. ſunt nonnulli, qui annò præterito deuotiſſimè implorato, & acuratius ex ſacris literis conſultoSpiritu ſancto indubitanter credebant verum Chriſti Corpus eſſe in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento; hoc verò anno,item implorato,ac conſulto ex ſacris literis Spiritu Sancto,credunt Corpus Chriſti non eſſe in Sacramento Euchariſtiæ, niſi ut in ſigno. Ergò qui totam Eccleſiaſti-

cam jurisdictionem subijcit illi unctioni, quàm singuli Biblistarum jactant, & credunt se doceri à Spiritu sancto, exponunt eandem Ecclesiasticam Jurisdictionem, atque adeò totam Christi Ecclesiam turbulentissimæ quorumcumque Christianorum libidini, & inscitiæ.

Porrò quod dicitur de Ecclesiastica Jurisdictione, pari ratione dicendum est de Politica: quemadmodum novissimè per totam Boëmiam hæc præsumpta Spiritus sancti unctio docuit neutiquam parendum FERDINANDO Secundo Romanorum Imperatori: cui meritò redditur suspectus ille Spiritus, adeò ut emigrare cogatur una cum suis unctis.

CONSEQVENTIA VII.

TOta Jurisdictio Ecclesiastica, atque adeò tota Christi Ecclesia subijcitur turbulentissimæ quorumcumque

que Christianorum libidini, & inscitiæ, sub prætextu internæ unctionis. qua singuli jactant se doceri ex sacris literis à Spiritu sancto (ut ajunt) devotissime implorato. Ergò Christi Ecclesia in unum collecta, per talem credendi regulam necessariò est confusus fanaticorum cœtus, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Probatur ab effectu, nam ille Christianorum cœtus, qui per præsumptam à singulis internam Spiritus săcti unctionem cojuit in unũ Corpus, nullam habet fidei unitatem, nullam in suis membris fidei constantiã, nullam Jurisdictionem, nullã ministrorum Ecclesiasticorum vacationem, aut successionem, sed in omnibus, & singulis liberrimè debacchatur interna singulorum unctio, qua singuli jactant Spiritum sanctum.

Considera omnium Biblistarum cœtum, discerne sectas, nimirum, Luthera-

theranorum, Calvinistarum, Anabaptistarum, quarum singulæ in alias sexcentas scinduntur, & demum quot capita, tot sententiæ, & dum tempora mutantur, illorum quoque fides mutatur in illis. Quære supremam inter illos Jurisdictionem docendi, Sacramenta administrandi, ministros Ecclesiasticos constituendi, causas Ecclesiasticas cognoscendi, nil propè invenies, sed omnia videbis exposita unctioni internæ, quàm singuli jactant. Hæc sunt conspicua omnium oculis.

Huic consequentiæ non obstat, quod alicubi videatur tranquillus, & nonnihil ordinatus Biblistarum coetus, u, g. Lutheranorum in Saxonia, nam sicubi id accidit, hoc provenit, quia promiscua multitudo credit Prædicantibus, & auctoritate Politica obtenditur Augustana Confessio, quàm nemò palam impunè revocaverit in dubium, & pauci admodum

ſunt, qui implorato, & conſulto ex ſacris literis Spiritu ſancto dijudicent, num doctrina, quæ illis proponitur, concordet, aut diſcordet à verbo Dei, qui profectò, dum inconſulto ex ſacris literis Spiritu ſancto ſimpliciter credunt, vel Prædicantibus, vel Confeſſioni Auguſtanæ, alijſvè hiſcè ſimilibus, impoſsibile eſt habere fidem certam, nam credunt illis, qui erroribus in fide obnoxij ſunt, ubi verò liberrimè debacchatur illa interna unctio, omnia turbantur, & quidem eò magis, quò eminentiora ſunt illa ingenia, quæ conſulunt ex ſacris literis Spiritum ſanctum; ſed quid opus lucerna ad ſolem? hæc quotidiana experientia patent ad oculum.

CAPVT VI

Deducuntur aliæ neceſſariæ conſequentiæ, unde conſtet qua-

lis fuerit Ecclesia Christi ab Apostolorum ætate usq; ad hanc diem, si illa dijudicetur ex Biblistarum credendi regula.

TAlis, inquam, necessariò erit ille Christianorum cœtus, qui colligitur in unum Corpus per Biblistarum credendi regulam: nunc verò ex hac eadem credendi regula volumus deducere alias consequentias, ex quibus constet, qualisnam ab Apostolorum ætate, usque ad Lutheri tempora fuerit Christi Ecclesia; nam si ex Biblistarum credendi Regula dijudicare velimus Christianorum cœtum continua successione usque ad hæc tempora per tot sæcula ubique terrarum propagatum, haud dubium quin horrendas consequentias exindè, & quidem evidentissimè deducere cogamur.

CON-

CONSEQVENTIA I.

OMnia Concilia, etiam Generalia, & approbata à Romano Pontifice possunt errare in fide, & singuli Christianorum sub pœna mortis æternæ, antequam credant, tenentur devotè implorato, ac consulto Spiritu sancto ex sacris literis dijudicare, an concordent, aut discordent cum verbo Dei. Ergò omnia Generalia Concilia, quomodocumq; in Ecclesia Dei celebrata detestandam Tyrannidem exercuerunt in totam Christi Ecclesiam contra verbum Dei.

Probatur; quia omnia Concilia Generalia excommunicarunt, nec non, & invocato sæculari brachio extremo supplicio affecerunt illos, qui ex sacris literis invocato, ac consulto Spiritu Sancto, eorundem Conciliorum Decreta in materia fidei, vel negare, vel in dubium revocare sunt ausi, nec non ingentia bella

susci

suscitarunt contra illos Principes, Reges, & Imperatores, qui ausi sunt obsistere Conciliorum doctrinæ in materia fidei.

Vide Nicenum Anno 325. in quo damnatus est Arrius ex sacris literis negans Christi divinitatem.

Vide Constantinopolitanum Anno 383. in quo damnatus Macedonius ex sacris literis negans Spiritus sancti divinitatem.

Vide Ephesinum 1. Anno 434. in quo damnatus Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus ex sacris literis Christum dividens in duas Personas.

Vide Calcedonense 1. Anno 454. in quo damnatus Evtyches Archimandrita ex sacris literis unicam asserens in Christo naturam.

Vide Constantinopolitanum 2. Anno 781. in quo damnati illi, qui ex sacris literis, sacras Christi, & Sanctorum immagines omni honore

spolia

ſpoliabant. Neque unum, aut alterum ſolummodo damnabant, ſed innumeram Chriſtianorum multitudinem, quæ illis hæreſiarchis adhærebat, qui non omnes fuère plebei, ſed quàm plurimi Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, nec non & Principes, Reges, & Imperatores, quos Generalium Conciliorum Patres nil veriti, in nomine Chriſti damnarunt, & anathemate præſciderunt à vera Chriſti Eccleſia.

Sed deficiet me tempus, ſi voluero Concilia omnia recenſere, & oſtendere ad oculum, perpetuam fuiſſe Eccleſiæ praxim in Concilijs ex Cathedra decernere cunctis Chriſtianis, quid credere, quidvè non credere teneantur, damnando omnes, ac ſingulos, qui ſecus docere, vel aſſerere auderent.

Porrò ſi id juris non habent Concilij Patres; Primò quidem errarunt, quoad hoc, in fide omnia Concilia Gene-

Generalia hactenus celebrata in Ecclesia Christi, deinde execrandam, & violentissimam Tyrannidem semper exercverunt in gregem Christi; iniquam Jurisdictionem per vim exercentes, & Spiritus sancti unctionem, qua singuli Biblistarum interius docentur, damnantes, & ludibrio habentes.

CONSEQVENTIA II.

OMnia generalia Concilia quomodocumq; in Ecclesia Dei celebrata, detestandam Tyrranidem exercuerunt in totam Christi Ecclesiam contra Verbum Dei. Ergò in dubium revocantur omnes hæreses ab omnibus, & singulis Concilijs generalibus damnatæ.

Probatur, quia Generalia Concilia nullum habebant Jus damnandi ullam doctrinam, sed singuli Christiani id muneris habent, ut etiam ipsorum Conciliorum generalium Decre-

Decreta apud se expendant, ac dijudicent ex sacris literis implorato prius, ac consulto Spiritu Sancto: quocirca Conciliorum sententiâ, quâ damnati sunt quidam Hæretici; fuit eo titulo iniqua, quod à non habente Jurisdictionem ferebatur, deinde illa de jure divino subjacet censuræ Spiritus sancti, qui ex sacris literis per Biblistarum ora judicat in singulorum corde omnem humanam doctrinam.

Vt verò Biblistæ conjectura aliqua assequantur, quot damnata dogmata reviviscant ex illorum Regula credendi, hoc loco ad literam subnectimus Decretum quoddam factum Anno 494. in 1. Romano Concilio sub Gelasio Primo.

Hæc, & omnia his similia, quæ Simon Magus, Nicolaus Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus, & Bonosus, & qui simili errore defecerunt,

runt, Montanus quoquè cum suis obscenissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus, sive Manichæus, Faustus, Africanus, Sabellius, Arius, Macedonius, Evnomicus, Novatus, Sabbati⁹, Cælestius, Donatus, Eustatius, Jovinianus, Julianus, Celanensis, Cœlestinus; Maximus, Priscilianus ab Hispania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus Vnicus, Lamperi⁹, Dioscorus, Eutyches. Petrus, & alius Petrus è quibus unus Alexandriam; alius Antiochiam maculavit. Acati⁹ Constantinopolitanus, cum consorti bus suis, necnon, & omnes hæretici, eorumq; discipuli, sive Schismatici docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minimè retinentur, nō solum repudiata, verum etiam ab omni Romana Catholica, & Apostolica Ecclesia eliminata, atq; cum suis auctoribus, auctorumq; sequacibus, sub anathematis indissolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.

F Hæc

Hæc Gelasius Papa, cum Patribus præ fati Concilij.

CONSEQVENTIA III.

NVlla extat Jurisdictio Ecclesiastica, videlicet concionandi, Sacramenta administrandi, quam singuli Christiani antequam eam Jurisdictionem subeant, non teneantur prius implorato, ac consulto Spiritu sancto ex sacris literis dijudicare justam, cui subijciantur, vel injustam, cujus jugum, si possunt, excutiant. Ergò ab Apostolorum ætate usquè ad hanc diem in Ecclesia Dei nullus extitit publicus verus cultus Dei.

Probatur: quia ille cultus, qui hactenus publicè in Ecclesia DEO exhibitus est, sivé concernat Prædicationem Verbi Dei, sivè Sacramentorum administrationem, sivè alios publicos ritus spectantes ad fideliũ pietatem erga DEVM, semper fuit decret⁹, direct⁹, & moderatus ab Ecclesiæ Pastorib⁹, & maximè à Patribus Generalium Conciliorum cum usurpatione

tione supremæ auctoritatis in omnes, ac singulos Christi fideles: quod cum sit detestanda Tyrannis contrà Verbum Dei, haud dubium, quin ejusmodi DEI cultus sit quoque execrandus.

Neque obstat huic consequentiæ, quod in omni ætate fuerint quam plurimi, qui detestati sunt illud Tyrannicum Imperium: nam, ut hoc concedamus, dicimus ejusmodi homines, nō alios fuisse, quàm illos, quos, uti supra, hæresis damnarunt tot Generalia Concilia; ipsi verò Bblistæ viderint, quo cōsilio approbant illorum dogmata: nam in quàmplurimis discordant ab illorum doctrina, quam hac ætate profitentur ipsi Biblistæ.

CONSEQVENTIA IV

OMnia Concilia Generalia quomodocumq; in Ecclesia Christi celebrata, detestandam Tyrannidem exercuerunt in totam Christi Ecclesiam contra Verbum Dei, nullusque extitit unquam post Apostolorum ætatem publicus verus

Dei cultus. Ergò vera Ecclesia Dei ab Apostolorum ætate delituit ignota sibi, & mundo.

Probatur; quia ille cœtus Christianorum, qui in orbe terrarum ab Apostolorum ætate maximè conspicuus fuit, cultum DEO exhibuit detestanda Tyrannide Episcoporū, contra verbum Dei, decept⁹ vel coactus; qui verò hanc Tyrannidē detrectarunt, divisi sunt in sectas propè innumerabiles, & invicem maximè dissentientes, quævè sensim ad nihilum sunt redactæ, ac proindè, ne cogamur dicere nullam fuisse veram Ecclesiam, dicendum est illam fuisse sibi, & Mundo ignotam, atque adeò invisibilem.

CAPVT VII.

Conclusio Auctoris.

HAbes mi Biblista ex tua credendi regula illa absurda, quæ citra difficultatem qui

vis deducere poteſt; difficiliora, tametſi non minus vera, prætermiſi. Nunc ergò velim tibi ducas conſcientiæ, & honori, ſi tuam credendi regulam doctiore reſponſione vindices ab illa, quam præſefert, enormitate, impietate, & inſania. Multum effeceris, ſi id aſſequare; neq; puto alia ratione præſtiteris, quam negando, vel antecedentia. vel conſequentias.

Verum ne in tua reſponſione hallucinere, te monendum duxi, me totis viginti ſex annis, non minimam operam navaſſe ſtudio ſacrarum literarum; veritatem abſq; fuco ſemper ſum perſcrutatus illo animi candore, ut etiam penè à pueritia, relictis Patre, Matre, ac retibus, ſublata ingenti cruce ſim Chriſtum ſecutus: & tamē hactenus indubitanter ex tuis tibi ſacris literis auctoritatem Eccleſiæ in materia fidei cenſui infallibilem, nunc verò, ſi aliam, tuam videlicet

credendi regulam adhibere volo, occurrunt ingentes difficultates; ex quibus habes præfatas, quibus satisfacias; tametsi ignorem, qua ratione id præstare queas, nam vel me remittis ad orationem, internamque Spiritus Sancti unctionē, vel ad sacras literas, vel tuam, aliorumve ex tuis allegas sacri textus explicationem. Verum enimverò tu te, aliosve omnes putas in materia fidei obnoxios erroribus: non ergò tibi, alijsvè certò credere possum; sin verò ex sacris literis tuā, tuorumque in materia fidei sententiā expendo, eam damno; nec meritò accuses, à me non imploratum, non invocatū Spiritū sanctū. nam spatio annorū viginti sex, octo circiter horas interdiu, noctuque consvevi, ex nostro instituto orare, & Spiritus sancti unctionem implorare. Sed esto, renuntiaverim Auctoritati Ecclesiæ, putem illam erroribus obnoxiā; non propterea tuæ subscripserim sententiæ, vel te asserente, vel spiritu me interius docēte. Quinimò in eo casu

dubi-

dubito ſitnè ſcriptura, ſacra nec ne: nam hactenus non credidi ſacram, niſi commotus auctoritate Eccleſiæ. Sanctum verò Spiritum, qui totam deſeruerit Eccleſiam, mihi viliſſimo peccatori ita addictum eſſe, ut certò non errem, non temerè, ſed prudens dubito, & nego. At ſinamus tuam credendi regulam eſſe Biblijs, & internæ Spiritus unctioni conſonam, quid putas ſim dicturus? Certè ni tuam credendi regula vindicaveris ab illa infamia, quam incurrit propter ſupra deductas conſequentias, Biblia illa non ſacra, ſed fanatica, Spiritum illum non Sanctum, ſed mendacem, Chriſtum tuum non Redemptorem, ſed ſeductorem conſtantiſſimè affirmavero: nequè non inſanus aliter ſenſerit. Itaquè ni conſequentias noſtras ſiſtas, quominus inſequantur tua antecedentia, aut redeundum eſt nobis ad Eccleſiam, aut ſecedendum à Chriſto. Vale, & vide quonam collimet tuus ille Spiritus, quem conſulis. Finis.

Explicit Tractatus de Acatholicorum Regula credendi. Sequitur Animadversio in confutationem attentatam â Johanne Majore.

Minor ex MAGNIS MAIORI *Salutem.*

Vidi examinatum à te, de Acatholicorum credendi Regula Judicium; Id tu inſcribis caſtigatum, & confutatum; quod an præſtiteris, judicabunt alij, qui meum Judicium, & tuam perlegerint Confutationem.

Tu verò, mi Johannes, ex his, quæ hoc libello ſum dicturus, fortaſſis depræhendes, te non intellexiſſe, aut alij ſuſpicabuntur, te diſſimulaſſe ſcopum, in quem ego collimabam, cui tu occurere debueras. Hinc factum, quod maxima pars tuæ confutatio-

nis alio vergens, me non tangat; si quid verò in me dirigitur, infra suo loco ostendam quo effectu.

Nihilominus plurimum me tibi debere profiteor; cum enim putem, te ex animo mihi optare veram fidem, atq; adeò vitam æternam; hanc tuam erga me Charitatem pari dilectione promereri volo, ac debeo; neq; commoveor tuo stylo plurimum acerbo; illum enim sive culpem, sive zelo à te præsumptæ veritatis excusem; mea erga te Charitas patiens est, benigna est, non irritatur, non cogitat malum, congaudet veritati.

CAPVT I.

Præmittitur Scopus prioris Opusculi confutandi.

SCopum meum non intellexisti, vel dissimulasti; ne eò tuam confutationem ordinares; ego enim in

meo

meo Opuſculo hanc, ad ſpeciem, ago perſonā. Commotus Bibliſtarum argumentis contra Conciliorum generaliū, Romaniq; Pontificis auctoritatem, deſcivi ab Eccleſia Catholica; ſed propter multa abſurda, quæ inſequuntur Bibliſtarum credendi Regulam, cogito (ni mihi ſatisfiat) vel redire ad Eccleſiam Catholicam, vel ſecedere à Chriſto.

In tanto diſcrimine conſtitutus, evulgavi illud Opuſculum, in quo fluctuantem animum detexi, enumeravi per ordinem illa abſurda, quæ videbantur con ſequi Bibliſtarum credendi regulam, provocavi Bibliſtas, ut in eo mentis meæ diſſidio mihi adeſſent. Verum, ne morbum potius exagerarent, quam tollerent, aut lenirent; præmonui eos, qui eſſent reſponſuri, me hactenus eas ſcripturas, quas Bibliſtæ cenſent ſacras, non credidiſſe ſacras, niſi commotum auctoritate Conciliorum generalium; quam auctoritatem, ut primum, victus Bibliſtarum argumentis, judicavi in eſſentialibus

libus fidei erroribus obnoxiam, eo ipſo dubitavi de toto illo Canone librorum, quos Chriſtiani credunt eſſe ſacros.

Hæc cauſa, cur in meo libello, nec unicum adduco argumentum ab auctoritate Patrum, Conciliorum, & ſacræ ſcripturæ.

Petij ergo, ne mihi perſvadeant ex illis libris, quos desij credere ſacros. Abſurda verò illa, deducta ex Bibliſtarum credendi regula, adeò ſum deteſtatus, (ni doctiore apologia excuſentur) ut candidè dixerim, me non exiſtimare eum, qui eadem approbaverit, eſſe Spiritum Sanctum, aut Mundi Salvatorem. Hæc omnia, cum totus meus libellus, tum maximè concluſio clarè teſtatur.

CAPVT II.

Johannes Major ex negatis,

nun-

nunquam ab illo probatis, contexuit suam Confutationem.

TV verò, mi Johannes, in eo totus es, ut Catholicam credendi regulam confutes, & Saxonicam, seu Augustanam confirmes; utrumq; verò aggrederis sola auctoritate literarum sacrarum; cum tamen totus in eo esse debueras, ut vel antecedentia Biblistarum, vel consequentias meas negares, & confutares, idq; citra ullum argumentū ex sacris literis. Nota benè, ò Johannes, quid nō intellexeris in meo, quid neglexeris in tuo tractatu.

Itaq; quicquid in tua confutatione habes contra generalium Conciliorum, seu Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem, & fidem, nil ad me: nisi quod eò magis (quantum in te) convellis, & radicitus eliminas ex animo meo

omnem

omnem venerationem, quàm hactenus habebam erga sacras literas; utpote quas nunquam credidi sacras, nisi persvasus auctoritate Conciliorum, & Romanorum Pontificum.

Quæ verò magno studio adducis ex iisdem sacris literis, pro cōfirmanda tua credendi regula, mihi non dicuntur: cum destitutus auctoritate conciliorū, nil certi mihi constet de ijs libris, qui contineant purum verbum Dei.

Quæ cum ita sint, habet tamen tua confutatio unum aliquid, quod ad rem facere videtur; nempè, invertis quatuor propositiones, quibus ego cap. 2. Biblistarum credendi regulam historicè proposui; illis autem eatenus inversis, & mutatis, acies illa mearum consequentiarum deordinari videtur.

Sed, ò quam appositè confutasses, si tu quoq; vestratium credendi regulam historicè enarrasses, eam dilucidè explicando paucis propositionibus, & exinde digito demonstrasses, meas consequentias

haud

haud posse deduci ex vestra eatenus exposita regula credendi; quod sanè potuisses citrà ullum textum sacræ scripturæ. Hoc unicum erat tui muneris.

Quod si prætereà libuisset, & catholicam cõnfutare, & Augustanam confirmare, licuisset; at sub alio titulo, quam confutationis mei libelli; in quo nil asserui pro catholicis, nil negavi contra Biblistas; absurda non nulla deduxi, quæ amoveantur, pro mea meliori informatione.

CAPVT III.

Quæ Johannes Major extra fines capitalis quæstionis spargit, non considerantur in hoc tractatu.

NOn ergò mirere, si in hac mea replica ad tuã confutationem, secretis ex mole tui libri illis, quæ spectant ad confutationem eorum,

quæ

quæ ego dixi, reliqua prætereo, ac transilio: nam non patior me dimoveri à meo proposito.

Sanè puto jucundum tibi foret, si, digressus à proposita quæstione, tecũ mallem inire certamen de alijs, quibus confundendis ex sacrarum literarum penu tu tibi potis videare.

Sed mirabuntur multi, conquerentur nonnulli, quod ego, ut Grammaticus, ut Logicus, ut Historicus; ut Theologus, nec non ut Monachus à te gravissimè in multis lacessitus; me tamen ex parte subducam; maximè cùm ex tuo Opusculo tanta, & tam multiplex sese mihi offerat te repræhendendi occasio Verùm, mi Johannes, ego nec meam excuso imperitiã, nec tuos aveo accusare defectus. Quid Ecclesiæ Christi accedit, aut decedit, sivè ego Magn⁹, sivè tu Major habeare? Minorem me profiteor.

Verùm tamen tibi significare volo, me ex industria abstinuisse à syl-

logismo

logiſmo cathegorico; ut conſulerē illis, qui in logicis non ſunt verſati; qui, cùm naturaliter citrà artem pleraſq; argumetandi formas adhibeant, ſolum videntur ignorare ſylogiſmum cathegoricum; quem ego tamèn ſatis intelligo. Habeo ſub prælo Logicam meam; cujus tibi fortaſſis aliqua exemplaria tranſmittam, ubi ea in lucem prodierit.

Meliuſculè feciſſes & tu, ſi rarius græca adhibuiſſes. Quæſo abs te, quotus eſt ille, ex ijs, quorum utilitati conſulimus, qui intelligat vitia, quæ v. g. oponis meæ primæ conſequentiæ. Illa, tibi eſt: ἀσυλλόγιςος: eſt præterea ἀπροσδιόνυσος: eſt dēiq; ὁμώνυμος haud dubium quin ea ratione plurimi eruditionem tuam præſument, ſed ignorabunt vitia, quæ obijcis. Verebuntur tamen græcis vocabulis illis ſignificari meum notabile crimen; cujus ego fortaſſis innocenter cogor tolerare multorum vel ſententiam, vel ſuſpicionē. G CA-

CAPVT IV.

Quæ Major siuè ad rem, siuè secus dicit, inordinatè, & contumeliosè dicit.

AT verò haud fuerit gravis culpa fecisse quod debueras, & addidisse quod nō tenebaris; verum quod ea ipsa sic præstiteris, ut videaris maluisse conviciari, quam examinare, confundere, quam confutare, nescio quam gratiam apud tuos exinde tibi comparaveris.

Nam (ignosce mi Johannes) in tua confutatione tu, velut mente confusus, & penè in furorem concitus, dum statum quæstionis trepidus declinas, ne detrectare videaris, quæstionem invertis; & ne invertisse pudeat, aggrederis; posteà te recipis. Omnia misces vocum mearum distinctionibus; & posteaquam Lectorem ea ratione

tione longius à proposito abduxisti, sæpius tui, & mei oblitus, aliò vagaris; sicubi verò desunt diverticula, ex singulis apicibus, argumentandi captas occasionem. Infringis Catholicorum credendi regulam, quam non asserui. Confirmas Augustanam fidei normam, quam directè nō impugnavi. Acerrimè statuis sacrarum literarum auctoritatem, quam constantissimè tecum affirmavi. Elidis meas consequentias, quod non sequantur ex tuis antecedentibus. Non aliundè argumentaris, quam ex sacris literis, quas non recipio, nisi simul hæresis damnem omnes Acatholicos. Hoc titulo tu tibi triumphare videris. Nusquàm tui Valeriani immemor: hunc malum Monachum, rudem Grammaticum, imperitum Logicum, mendacem Historicum, hæreticum Theologum, Mediolanum Cretensem (subaudi) malam bestiam, ventrem pigrum, sem-

per mendacem pronuncias. Græca latinis tertio quoq; verbo miſces; ſcatent omnia convicijs. Ego verò lego, evoluo, ac perluſtro omnia, ut intelligam, utrum Johannes Major ultrò concedat ſingulos Bibliſtarum conſulere (hinc meæ conſequentiæ) ex ſacris literis Spiritum Sanctum, quo ſecernant veram à falſa fidei doctrina. Hic tu mihi ſæpius occurris; ſed momento te ſubducis; aliò loco in apertum prodis; poſteà denuò mergeris; muſcam refers, quæ excita ſplendore lucernæ, gravi ſuſurro, ac perturbato motu circumvolitas, poſtquam in omnem partem impegit, tandem flammam pervolat, & ſemiuſta ſtridet, ac repit. At hæc ſemel dicta ſunto; deinceps ex toto tuo tractatu nil omninò carpere, aut repræhendere volo, niſi quod intrinſecè capitalem noſtram quæſtionem concernit; reliqua planè tranſilio; niſi quod, rogatus à mul-

tis,

tis, edidi tibi in fine hujus Opusculi specimen aliquod ejus animadversionis, quam modestissimè darem, si ulturus privatam injuriam, arduam quæstionem obruere non vererer infinitis quæstionibus, declarationibus, responsionibus, retorsionibus, & castigationibus, ad rem nostram non facientibus.

CAPVT V.

Explicantur significata vocum præcipuarum, quarum est in hac disputatione usus frequens.

SEd nō prius in arenā descendo, tecum disputaturus, quam inter nos constiterit de significatione quarundam vocum, quibus sum usus in meo tractatu de Acatholicorum regula credendi, & utor in hac mea

reſponſione ad tuam confutationē; hiſce enim vocibus diſtinquendis tu imples paginas 44. cum ego in toto illo Opuſculo, quod confutas, vix habeam 56.

Igitur, eos omnes, qui Jeſum Chriſtum venerantur, ut mundi Redemptorem, nomino *Chriſtianos*.

Eos omnes, qui profitentur eam de fide doctrinā, quam mundo credendā proponit Romanus Pontifex, nomino *Catholicos*.

Eos omnes, qui eam non profitentur doctrinam, quam credendam mundo proponit Romanus Pontifex, nomino *Acatholicos*.

Qui Acatholicorum, præſumpta à ſingulis privata Spiritus Sancti aſſiſtentia, ex ſacris literis dijudicant omnem doctrinam de fide, nomino *Bibliſtas*.

Cum nomino Chriſtianos, Catholicos, Acatholicos, Bibliſtas, omnes ſuppono adultos, & ſanæ mentis; de his enim loquor. Hæc

Hæc vox, *Credere*, mihi nihil aliud ſignificat, quam judicare rem aliquam veram, vel falſam propter auctoritatem ejus, qui teſtatur eam eſſe veram, vel falſam.

Hæc vox, *Fides*, apud me hoc loco duplicem habet ſenſum 1. mihi ſignificat aſſenſum, ſeu judicium intellectus circa fidei eſſentialia, ex auctoritate dicentis, ſeu atteſtantis; qua ratione fides coincidit cum verbo, *Credere*; qui enim ſecundum hanc acceptionem habet fidem, is dicitur credere; & è contra qui credit, dicitur habere fidem; nimirum, ego de hac fide loquor.

Secundo modo à me accipitur *fides*, pro objecto, quod credendo cognoſcimus, quâ ratione aliæ voces coincidunt in unum ſignificatũ cum fide ſic accepta v. g. materia fidei, pertinentia ad fidem, objectum fidei.

Quandocunq; nomino, *Obiectum fidei Materiam fidei* &c. intelligo eſſen-

essentialia fidei.

Mihi unum, & idem sunt, discordare à sacris literis in fidei essentialibus, & errare in fidei essentialibus.

Omnes illos Libros, quos Christiani putant continere purum verbum Dei scriptum, nomino *Biblia*, *sacram scripturam*, *sacrum textum*, *codicem sacrum*, *sacras literas* &c. quod si est quæstio de nonnullis libris, an sint sacri, ea à me non dirimitur hoc loco.

Rem à Deo significatam per sacras literas, nomino *Sensum sacrarum literarum*.

Per Spiritus Sancti assistentiam, illustrationem, seu unctionem, nil aliud intelligo, quam supernaturale, ac divinum donum scientiæ veri sensus sacrarum literarum quo ad fidei essentialia.

Quando dico *Fidei essentialia*, intelligo ea, quæ sunt credenda de necessitate salutis.

Per

Per *Concilium generale*, intelligo Ecclesiam, seu Congregationem generalem Episcoporum, qui legitimè ex tota Christianitate convocati coeunt in unum cœtum, decernendi gratia ea, quæ spectant ad mores, & dogmata Christianorum.

Cum absolutè nomino *Concilium*; intelligo *generale* approbatum à Romano Pontifice.

Sæpius ejusmodi *Concilium* nomino *Ecclesiam*, sed ijs verborum adjacentium circumstantijs, quibus, qui vult, facilè capit meum sensum.

Omnia illa, quibus se confirmant Christiani in credendo, ne ullo modo errent in fide, nomino *regulam credendi*.

Ille *Valerianus*, qui cognominanatur *Magnus*, est revera frater *Minor*, quod cognomen *Magni*, cum Sancti Francisci Regulam est professus, dereliquit, una cũ Patre, Matre, ac retibus; nisi quod, de sui Ordinis

confvetudine, monentur omnes, qui libros edunt in lucem, familiæ cognomen adhibere.

Habes ergò, mi Johannes, meam nomenclaturam, nec tamen putes, me vocibus illis definire, sed significo rem unam, ita ut distinguatur ab alijs; non assero v. g. omnibus illis, qui Jesum Christum venerantur, ut mundi Redemptorem, convenire omnia, quæ hac voce, *Christianus*, significantur; unum duntaxat volo hac mea nomenclatione; ut, scilicet, tu intelligas, qua de re ego loquor: velut ego satis intelligo, quid significes illis verbis *Papano Catholicus*, *Papano Christianus*, *Papistæ*, *Antibiblii*, *Scripturifugæ*, *fides miraculorum*, *fides historica*, *fides iustificans*, *fiducia*, & alia ejusmodi.

Hoc autem loco, opportunè omnes, quos Biblistas nominavi, rogo, ne me putent eo usum vocabulo ad ludibrium; nam revera id feci doc-

trinæ gratia; ut omnes recentiores A-catholicos in contrarias sectas dispertitos sub uno nomine complecterer. Sanè potuissem, (ut illorum non nulli) Evangelicos dicere; sed quoniam comunem illorum regulã credendi solumodò in eo Opusculo considerabam, Biblistas nominavi; quandoquidem Sacra Biblia illis cõstituant unicam fidei normam, seù regulam.

Neq; uspiàm in meo Opusculo depræhendetur vel unicum Iota, quod arguat calumniandi, vel conviciandi pruritum. Sanè absurda à me deducta, apertissimè sum execratus: dixi esse enormia, impia, & insana; sciebam enim, nullum Biblistarum esse, qui illa collaudet; quod si secus credidissem, abstinuissem ab ea censura; malo mihi conciliare gratiam, & amorem, quàm odium, & indignationem eorum, quos veritatis svadendæ gratia alloquor.

CAPVT VI.

Biblistarum credendi Regula quatuor Propositionibus explicata, & à Majore correcta.

HIsce ergò eatenus prælibatis, accedamus, mi Johannes, ad eam Biblistarum credendi regulam, quam capite 2. mei Opusculi exhibui, quatuor propositionibus explicatam; & ex adverso mearum propositionum, volo per ordinem disponere tuas, quib⁹ meas corrigis in examine capitis 2. sectione 2. pag. 298.

I. Magnus.	I. Maior.
Singuli Christiani possunt errare in fide.	Omnes, & singuli Christiani possunt errare in fide, quatenus verbum Dei, quod extat

tat in sacris literis, & ex ijs docetur, ac disci tur, nõ satis attendũt, & observant.

Nulli Christiani possũt errare in fide quousq; sentiunt, & loqvuntur in verbo Dei, in quod nullus cadit error.

2.

Omnia Concilia imò totius Ecclesiæ Christi Pastores, congregati in Concilio generali, & à Romano Pontifice approbato, in Decretis fidei errare possunt.

2.

Omnia Concilia possũt errare in fide, quotiescunq;, & ubicunq; in suis decretis recedunt à verbo Dei scripto, quod est unica credendi, rectèq; vivendi cynosura.

Nulla Concilia possũt errare in fide, quando, & ubicunq; Decreta de fide, & moribus, non quidem nova sanci[illegible] sed ex tabulis sacra

ſacrarum literarū depromunt; vel ſaltem verbo Dei ſcripto dextere conformant, & probè confirmant.

3.

Singuli Chriſtiani; ſi uti decet, invocaverint Spiritū Sanctū, poſſunt, ſine errore, ex codice ſacrarum, ſcripturarum quorumcunq; hominū, etiam Conciliorum generaliū doctrinam expēdere; utrum concordet, an diſcordet cum ſacris literis.

3.

Singuli Chriſtianorū in ſacris literis erudi-ti καὶ δυνατοὶ Actor 17. ℣. 24. poſſunt, ſalva auctoritate docentiū, exemplo Berhoenſiū, ex mandato Chriſti, ſcripturas ſcrutari; eo fine, ut ſciant, an quæ, vel à Concilio, vel ab alijs traduntur, & ſibi credenda proponuntur, cum verbo Dei ſcripto concordent, an ſecus.

4.

Non eſt alia ra-

4.

Ratio certè cognoſcē-

dæ

tio certò cognoscendi veritatē in materia fidei, quam præmissa oratione consulere Spiritum sanctum ex sacris literis.

dæ veritatis salvificæ, est non solum legere, sed & audire verbum Dei ex aliorum ore.

Non est ergò unica, & sola ratio cognoscendi veritatem in materia fidei, quā præmissa oratione consulere Spiritum Sanctum ex sacris literis.

Non est cujusvis ad sacras literas recurrere, & Spiritum Sanctum cōsulere, pro veritate in materia fidei cognoscenda.

Non sufficit consulere Spiritum Sanctum ex sacris literis semel; sed juvat usq; morari, & scrutari.

Pium est scripturas evoluere; sed opiniones præconceptas inferre, vel in eruendo difficiliorum dictorum sensu nimiū suis indulgere ἐπινοίαις; impium.

Vtrin-

5.
Vtrinque concessa.

Fides Christiana excludit omnem dubitationem; sed est certa, & infallibilis.

CAPVT VII.

Negatis antecedentibus, cessant Consequentiæ.

EX harũ Propositionũ tabella, video illa antecedentia, quæ ego posui, quasi ad mentẽ omniũ Biblistarũ, à te ità confundi, ut videantur partim negata partim immutata; immò sub ea larva latent nõnulla, quæ referunt quasi Catholicã credendi Regulam: eatenus verò inversis meis antecedentibus, negas meas consequentias. Verum non fui ignarus id eventurum; quãdoquidem in meo Opusculo monuerim

rim ex mea ſententia, non eſſe aliam rationem declinandi ab illis conſequentibus abſurdis, niſi negentur antecedentia.

Quoniam verò conſequentia includit neceſſariam relationem ad ſuum ſpeciale, ac ſignatum antecedens, illa non poteſt dici eneruata, niſi cōſtiterit, quod dato, ac conceſſo illo antecedente, tamen non ſequatur conſequens. Diſtinquimus enim, ut tu optimè noſti, iſta tria: Antecedens, Conſequentia, & Conſequens v. g. *Homo eſt animal rationale. Ergò homo eſt riſibile*, eſt argumentum, cujus illa. *Homo eſt animal rationale*, dicitur antecedens; altera verò. *Homo eſt riſibile* dicitur conſequens; illa verò particula, *Ergò*, ſignificat conſequentiam, ſeu illationem illius conſequētis ex illo antecedente.

Si quis verò deſtructurus præfatam conſequentiam, ſeu illationem, mutaret illud antecedens, cu-

jus, loco poneret hoc. *Homo est corpus vegetabile*; ex quo antecedente non potest inferri illud consequens. *Homo est risibile*: non potest rationabiliter dici, quod prima illa consequētia fuerit eneruata, cum etiamnum sit necessaria, nam verum, ac necessarium est etiamnum dicere. *Homo est animal rationale. Ergò homo est risibile.*

Fateor, mi Johannes, ex antecedentibus tuis, si oculos consulas, non sequi omnes meas consequentias; at sequuntur ex meis antecedentibus; quapropter non sunt eneruatæ; suum etiamnum retinent vigorem.

Cum enim tu asseras, non esse cujusvis ad sacras literas recurrere, & Spiritū Sanctum consulere pro veritate in materia fidei cognoscenda; facile tibi concesserim non incumbere singulis tam grave munus, quale referunt consequentiæ meæ, quæ capite tertio explicantur.

Hinc, adminicula illa, quæ illi muneri exe-

ri exequendo dignoſcuntur neceſſaria in noſtris conſequentijs cap. 4. explicatis; haud, per te, comunia cenſeri poſſunt omnibus Chriſtianis; ſi ſinguli, per te, non poſſint, nedùm teneantur ex ſacris literis conſulere Spiritum Sanctũ, pro veritate in materia fidei cognoſcenda.

Hinc, & veſtrates Eccleſiæ, & vniverſalis, à Chriſti ætate ad hanc uſq; diem, ſe utcumq; ſubducunt ab alijs meis conſequentijs, quæ habentur cap. 5 & 6 ſi, per te, de ijsdem Eccleſijs non verificentur illa antecedentia, à me, velut ad mentẽ Bibliſtarum, poſita. Hac verò ratione tantum tibi caves à meis conſequentijs, quantum imitaris Catholicam credendi regulam. Itaq; quæ conſequuntur mea antecedentia non omnia poſſunt inferri ex tuis antecedentibus. Quid mirum? Miror equidem, quod tantopere tu, tibi ipſi placeas in hac præſumpta confutatione, ut etiam dicas pag. 336, in examine cap. 3. *Provoco*

hic ad omnes Logicos ; & parum abest quin provocem, vel saltem orem omnes Capucini Ordinis fratres, tam Maiores, quam Minores, Seraphicos æquè, ac Cherubicos, ut viribus ingeniorum in unum collatis, & contractis, periculum faciant, an ex toto consequentiarum Valeriani asse, poßint dodrantem Sylogismorum, non dicam Apodicticorum, sed saltem Dialecticorum conflare, conclusione, quàm Valerianus posuit, retenta. Quod Calones sunt & Lixæ in castris militum, id consequentia sunt Valeriani in Scholis eruditorum.

Cur ita ? quia meæ consequentiæ non sequuntur ex tuis antecedentibus. O acumen ? O rem admirabilem ? Puto excidit tibi, fortassis proposueras eo loco negare antecedentia, posteà oblitus negasti consequentias.

CAPVT VIII.

Præfata credendi regula imputatur

putatur Biblistis cum discretione.

AT me repræhendis, & quidem graviter, quod edito libro meo, omnes Biblistas dixerim profiteri eam credendi regulam, quam supra quatuor propositionibus explicavi; cum, per te, vestrates Ecclesiæ immunes sint ab illis antecedentibus; undè prodeunt immanes illæ consequentiæ. Certamen mihi denuncias cum Calvinistis, & Anabaptistis, non cum Augustanis, seu Lutheranis.

Crede mihi, mi Johannes, quod ego non calumniandi studio, sed veritatis amore incitatus scripsi, & scribo.

Interim prudenter agis quod Anabaptistarum, & Calvinianorum credendi regulam non defendis, imó sæpissimè concedis illos meis consequentijs esse ictos; ex hoc ergò capi-

te non me repræhendis; quereris duntaxat, quod illorum credendi regulam vobis falsò imputaverim.

At verò, si æquo animo perpendis illa, quæ ad literam subjungo ex septima mea consequentia Cap. 5. nullam meam hac in parte culpã deprǽhendes: sic habet meus textus.

Huic consequentiæ non obstat, quod alicubi videatur tranquillus, & nonnihil ordinatus Biblistarum coetus u. g. Lutheranorum in Saxonia: nam sicubi id accidit, hoc provenit; quia promiscua multitudo credit Prædicantibus; & auctoritate politica obtenditur Augustana confeßio, quam nemo palam impunè revocaverit in dubium; & pauci admodùm sunt, qui implorato, & consulto ex sacris literis Spiritu Sancto dijudicent, num doctrina, quæ illis proponitur, concordet, aut discordet à verbo Dei.

Vide ergò meam sinceritatem, Ego noveram, vestras Ecclesias nonnihil tranquillitatis, & ordinis habere; quas propterà nominatim aliquatenus exce-

pi.

pi. Cum verò me lateat, an aliæ extrà Saxoniam sint Ecclesiæ eatenus non omninò deordinatæ; has pariter non nominatim (quippè qui eas ignorem,) sed indefinitè, & eatenus excipio illis verbis.

Nam sicubi id accidit, hoc provenit quia promiscua multitudo credit Prædicantibus, &c.

Hanc meam modestiam indè adhuc clarius intelligere potes, quod tuam Saxoniam non propterea nominatim excepi, quod solam putem utcunq; immunem ab illis à me objectis absurdis; nam eam non unicè, sed per modum exempli, seu v. g. nominavi; quasi unã ex pluribus.

Spero autem, per te, mihi licere prius sententiam ferre generalem, & posteà excipere, si quæ sub ea non compræhenduntur.

At, inquies, cur vestras, similesvè Ecclesias sub Biblistarum nomine complector, si illas excipio à comuni Biblistarum regula credendi? Duas

Duas habeo causas: Vna, quod non usquequaquè discordent vestræ Ecclesiæ à comuni Biblistarum regula credendi; ut constat ex ijs, quæ mox sum dicturus: Magis verò, & minus non variant speciem. Altera, quod ego sperem vos penè per omnia consensuros in comunem à me propositam Biblistarum credendi regulam, ne delabamini in graviora absurda.

CAPVT IX.

Biblistarum credendi regula posita ad mentē Majoris, videtur convenire cum ea, quam ponit Magnus.

IN prima enim, & secunda propositione convenis mecum; quod si tu non vis, ego convenio tecū; modò mihi concedas ad mentem vestram,

ſtram, poſſe, & ſingulos Chriſtianos, & Concilia omnia diſcordare à ſacris literis in fidei eſſentialibus.

Tertiam confundis; videris arcere indoctos à ſacrarum literarum ſcrutinio per ſacri textus lectionem; at, ne male merearis de ineruditis, illos, in illis propoſitionib⁹, quib⁹ meã quartam corrigis, adhibes ad verbi Dei ſcripti auditionem ex ore legentium; & clarè pronuncias, hanc auditionem eſſe rationem certè cognoſcendæ veritatis ſalvificæ; ſed aliam ab ea, quæ conſiſtit in ſtudio, ac lectione ejuſdem ſacri textus; quocircà haud multum diſcrepamus in hac tertia propoſitione. Ego enim non diſtinguo inter auditionem, & lectionem; fateor tamen me ſuppoſuiſſe lectionem in una, aut altera mearum conſequentiarum.

Hinc verò deducis concluſionem, quæ videtur cotradictoria meæ quartæ propoſitionis; ſed puto haud diffi culter conciliabimur in unam ſen-

tentiam; nam illa conclusio est illata à præcedente; in qua non solum legere, sed & audire verbum Dei scriptum, ponis esse rationem cognoscendæ veritatis salvificæ; unde infers.

Non est ergò unica, & sola ratio cognoscendi veritatem in materia fidei præmissa oratione consulere Scriptum Sanctum ex sacris literis. Nimirum, quia & audire verbum Dei, sit ratio cognoscendi veritatem in materia fidei, quod ego non negavi esse de mente Biblistarum. Ergò nō usq; adeò in hac quoquè quarta propositione discordamus. In v. autem planè convenimus.

Vide, mi charissimè Johannes, quam benè ad invicem respondemus. Non est inter nos tanta discreprantia, quantam præsefert tua confutatio.

CAPVT X.

Consensus Majoris cum Magno astruitur ex Majoris textu.

SEd hanc nostram amicitiam clarioribus mutuæ inter nos concordiæ testimonijs ex tuo tractatu munire volo.

Ego dico, vos docere *singulos Christianos posse errare fide.* Tu conditionem adiungis; scilicet: *Quatenus verbum Dei in sacris quod extat libris, & ex ijs docetur, ac discitur, non satis attendunt, & observant.*

Ego dico vos docere, *omnia Concilia, imò totius Ecclesiæ Christi Pastores congregatos in Concilio generali, etiam à Romano Pontifice approbato in decretis fidei errare posse.* Tu conditionẽ eandem adijcis scilicet: *Quotiescunque, & ubicunque in suis decretis recedunt à verbo Dei scripto.*

Superest ergò quæstio, an singuli Christiani, & Concilia generalia possint in fidei essentialibus recedere à verbo Dei scripto?

Hanc tu clarè solvis sect. 2. contra meam præfationem pag. 128. ubi ita pronuncias.

2. Quod

2. *Quod ait, nos supponere auctoritatem Ecclesiæ esse erroribus obnoxiam, cum apodicticè per clarissima scripturæ effata, & exempla convincamus Concilia non solum nonnulla in suis errasse Canonibus, verum etiam excellentiam, & auctoritatem iis tantam haud competere, quæ sit extrà, & suprà errandi aleam in tradenda doctrina posita; tale enim privilegium, & donum, quod securitatem, & immunitatem ab errore in doctrina præstat, uti à Deo duntaxat viris, quos immediatè vocatos Spiritu* ἀληθείας καὶ ἀσφαλείας *donaverat, concessum fuisse grati agnoscimus: ita præter illos idem aliis velle tribuere, nihil aliud est, quam prærogativam* ἀδιαψευσίας *(infallibilitatis)* καὶ ἀσφαλείας *in doctrina tradenda Prophetis, & Apostolis propriam, cum aliis comunem facere; discrimen inter Apostolos, & reliquos Pastores Ecclesiæ tollere; his perindè atque illis immediatam Spiritus sancti illuminationem assignare, & Episcopos in Concilio congregatos, Apostolis æquiparare.*

Haud

Haud dubium quin facilius concesseris (ut sæpè concedis) posse etiam privatas personas discordare in fidei essentialibus à sacris literis. Ergò convenimus, ô Johannes, in prima & 2. Propositione.

In tertia verò, duo tibi videntur molesta. Displicet tibi illa conditio: *Si, uti decet, invocaverint Spiritum sanctum:* & quidem adeò non placet, ut eam planè neglexeris in tua propositione, qua meam præfatam correxisti.

At velim ex te, etiam quoad hoc, aliquod testimonium nostræ concordiæ.

Sanè duriusculũ te præbes sect. 2. contrà cap. 2. pag. 317. sed tandem annuere videris, his verbis: *Quæ fides multis quidem citrà precum studium datur, data verò sine precum studio non conservatur.*

Nimirum, ego puto, ubi gravis aliqua objectio contrà essentialia fidei

dei urgetur auctoritate alicujus generalis Concilij discordantis à sacris literis, quam v. g. simplex aliqua muliercula ex verbo Dei audito dijudicare nititur, tunc illius mulierculæ fides periclitatur, nisi præmissis devotis precibus consulat Spiritum Sanctum ex auditis sacris literis, an generale Concilium erret in fidei essentialibus.

Optimè: neq; ego unquàm dixi, Biblistas docere, quod antè singulas lectiones, vel auditiones verbi Dei semper præmittenda sit oratio; sufficiet quando gravis tentatio contrà fidem, animum pulsat, ac sollicitat. In hoc quoq; concordamus.

Prætereà in illà mea tertia propositione haud laudas particulam illam: *Singuli Christianorum.* Tu sic castigas: *Singuli Christianorum in sacris literis eruditi,* neq; hac restrictione es contentus, aliam adjungis, nimirum: hi in sacris literis eruditi, sic possunt scrutari scripturas; ut tamen id fiat *salva auctoritate docentium.* Hic

Hic quoq; adsis, mi Johannes, & tuo te stimonio cõtestare singulis nostrũ de Biblistarũ regula credendi cõsensum: sanè sect. 2. contra cap. 2. pag. 318. ita habes: *Nec privandæ sunt oviculæ libertate expendendi doctrinã sibi propositã, multò minus ad mutam, & brutam fidem adigendæ* Hoc loco videris singulis oviculis deferre scrutinium, & judicium de fidei essentialibus.

Sed fortassis omnes has oviculas subaudis esse in sacris literis eruditas; videamus si fortè clarius te explices eadem pag paulò superius, ubi ita doces.

Singulis Christianis tribuere tantam rerum sacrarum scientiam, quantam universis, seu, quod idem est, uni tantum, quantum aliys; nil aliud est, quam mensuram fidei omnibus parem admetiri, divisiones donorum tollere.

Hoc nefas est, absit: unde pag. *317.* sic inquis: *Sed sufficit, si quilibet pro mensura fidei tantum ex scripturis didicit, ut sciat omnia probare, quod bonum est tenere* 1. *Thesal.*

Thesal. 5. v. 20. Spiritus probare, an ex Deo sint 1. Iohan. 4. v. 11. Vocem veri, & unici pastoris à voce alienorum, qui fures, & latrones dignoscere Ioh. 10. v. 45. 8.

Videlicet (quantùm ego, pro mei ingenij tenuitate assequor) viris eruditioribus, & quibus obtigit uberior mensura fidei, licebit secretiora arcana scrutari ex sacris literis; Incruditis verò illud duntaxat incumbit, ut vel sic in Biblijs sint versati, quod quilibet sciat omnia, quæ vel à privatis hominibus, vel etiam á generalibus concilijs proponuntur, circà fidei essentialia, probare, &, quod bonum est, tenere. Falsos à veris Prophetis secernere. Spiritus probare, an ex Deo sint: & Christum à Furibus, & latronibus dignoscere. Videlicet, ex sacris literis definire contro versa dogmata de fidei essentialibus inter Catholicos, Lutheranos, Calvinistas, Anabaptistas; damnare sententiá Oecumenicæ Tridentinæ Synodi,

nodi, approbare Augustanam confessionem, & similia. Hæc, inquam, & alia ejusmodi omnium, ac singulorum Biblistarum examini, & judicio relinquuntur, qui, vel cantillam, habent fidei mensuram: at verò reliquis eruditis, & illuminatis Theologis dicitur: *ducite in altum, & laxate retia in capturam profundissimorum arcanorum sacræ scripturæ.*

Quæ cùm ita sunt, tamèn sect. 2. contra præfat. pag. 135. prudentissimè mones, esse *discernendum judicium multorum in veritate consentientium, publicum, sanum, formatum, & in plures notum, à paucorum domestico, indiscreto, temerario, et parietes intrà privatos concluso.* quod ego sic intelligo, ne tibi ipsi contradicas, utiq; discernendum esse, sed à singulis, & ex sacro textu lecto, vel audito, uti supra dictum est. Ita me Deus amet, ut tu per omnia videris mecum convenire eti-

am in tertia Propositione. Quis credidisset ex tali concordia tantam discordiam?

At verò quod asseris in correctione meæ quartæ Propositionis, irreconciliabile videtur cum mea sententia de Biblistarum credendi regula, hæc namq; mea Propositio. *Non est alia ratio certò cognoscendi veritatem in materia fidei, quàm præmissa oratione consulere Spiritum sanctum ex sacris literis:* quomodo cociliabitur cum hac tua assertione?

Non est unica, & sola ratio cognoscendi veritatem in materia fidei, præmissa oratione consulere Spiritum sanctum ex sacris literis:

Quomodo conciliabitur cum altera tua subsequente?

Non est cuiusuis ad sacras literas recurrere, & Spiritum sanctum consulere, pro veritate in materia fidei cognoscenda.

Tu ipse tamen, doctissime Johãnes, unica distinctione tantã contradictionem

nem optimè concilias. Distinguis enim inter legere, & audire verbum Dei scriptum. Eruditis in sacris literis permittis scrutinium Christianæ veritatis ex sacro textu assiduè lecto; ineruditis verò illud ipsum scrutinium (subaudi quò ad fidei essentialia) permittis ex verbo Dei non lecto, sed audito; hinc concludis, non solam lectionem, sed & auditionem verbi Dei esse rationem certò cognoscendæ veritatis salviticæ: hinc infers, non esse cujusvis ad sacras literas recurrere legendo, sed eruditorum duntaxat, cæteri audiant ex ore aliorum, & sic dijudicent propositam doctrinam.

At verò vellem, mi Johannes, hanc nostram concordiam evidentiore testimonio confirmes: desiderò cathegoricum aliquod tuum dictum, quo clarissimè te explices; an ex tua sententia singuli Biblistarum adultorum, citrà ullorum viventium

hominum suppositam infallibilem auctoritatem, immediatè à Deo per sacras literas erudiantur, quò ad fidei essentialia, docti pariter, & indocti.

Puto me in eum finem adinvenisse præclarum textum ex tuo libro; vide sect. 2. contrà præfat. pag 119. ubi ita decernis, imò argumentaris:

Ab eo solum verus sacri textus sensus, quà dogmata, exigendus, & recipiendus est Christianis, qui est scripturæ auctor, & magister unicus, & supremus 2. Pet. 1. ℣. 20. Apoc. ult. ℣. 19. Eius quippe est legem explicare, cuius est legem rogare. Nullus homo, siue Pontifex, sive Concilium, sive Ecclesia est auctor, & Magister scripturæ. Ergo: &c.

A quocunque, & quibus mediis, ipse Pontifex, ipsum Concilium, & ipsa Ecclesia verum sacri textus sensum assequitur, ab eodem, & eodem modo recipiunt, & assequuntur quoque sensum omnes alij fideles. Illi à Deo per Spiritus sancti aßistentiam, seu gratiam

tiam, per diligentem scripturæ meditationem, per dictorum parallelorum collationē, per analogiæ, quæ est in fide observationem; ac in praxi fidelem applicationem. Ergò & cæteri fideles &c.

Quicunq; sensus sacri textus in mente legentis respondet conceptui mentis illius, qui in eo per sacras literas nobiscum loquitur, seù qui nos erudit, ille sensus non potest non esse verus, & firmus. Sensus sacri textus, quem litera in mente legentis, seù audientis gignit, respondet conceptui illius &c. Ergo &c. Nota bene illud *Audientis.*

Quicunq; sensus sacri textus ex litera scripturæ hauritur, ille nec debet; nec potest exigi, ac recipi ab Ecclesia. Sensus *textuum sacrorum, qui tractant, & tradunt articulos fidei, petitur ex litera scripturæ. Ergò non potest exigi ab Ecclesia.*

O præclarum textum? ô conclusionem Biblisticam? Ergò, inquit me᷈ Major, *omnes alÿ fideles assequuntur verum sacri textus sensum à Deo per Spiritus sancti aßistentiam, seù gratiam, per dili-*

gentem scripturæ meditationem, per dictorum parallelorum collationem, per analogiæ, quæ est in fide obseruationem, ac in praxi fidelem applicationem, non secus ac Pontifex, Concilium, & ipsa Ecclesia.

Hem, Domine Johannes, quid sibi vult hæc conclusio? hæccinè est discordia nostra? Itaq; hoc sentis tu de tuorũ Biblistarum regula credendi, quod Ego in meo priore Opusculo ad eorundem mentem posui. Vt quid ergò negas mea antecedentia?

CAPUT XI.

Quid sentiat Major de claritate scripturæ, & Spiritus Sancti assistentia.

VErùm antequàm ulterius progrediar, volo abs te intelligere, quid sentiant vestrates Biblistæ de Spiritus sancti afflatu, unctione, seù illuminatione, deq; Sacræ Scripturæ claritate. Sanè

sect. 2. contra Præfat. pag. 128. valdè videris dissentire à mea sententia, sic enim ais:

Nunquam enim ille (supple, Valerianus) *evicerit nos, qui à magisterio, & dictamine Spiritus sancti, per sacras literas Ecclesiam docentis unicè pendemus, de principio fidei convenire cum Calvinianis, qui rationem in Consilium adhibent; cum Anabaptistis, qui enthusiasmos, & internos raptus captant, vel privatum Spiritum auscultant.*

Vos ergò in Saxonia unicé pendetis, à dictamine Spiritus Sancti docentis per sacras literas. Quæro autem abs te, quid sentias, de sacrarum literarum claritate, vel obscuritate; nam audacissimè argumentaris, ac concludis claritatem sacræ scripturæ, sect. 2. contra Præfat. pag. 115. ubi inter alia, ita scribis:

Quicquid in contumeliam illius, qui scriptura auctor, in opprobrium Prophetarum, & Apostolorum, qui ἀμέσως à Spiritu sanc-

to informati, & illuminati, scripturas sacras confecêre, & in sacrarum literarum ignominiam, contemptum, & infamiam redundat, illud statutu, dictuq; nefas. Scripturam in simulare obscuritatis in iis, ubi tractantur, quæ omnibus, & singulis hominibus scitu, factuq; summopere necessaria, nihil aliud est, quam Deum contumelia, ipsius Protonotarios opprobrio, scripturam ignominia afficere. Ergò nefas hoc statuere, & dicere. Bellum argumentum.

Verum statim te melius explicas, ac decernis sacrum textum respectu sui esse clarissimum, respectu nostri esse obscurum. Præclara sunt, & notanda tua verba ibidem pag. 115. *Hæret ergò obscuritatis labes non in scripturis θεοπνεύςοις sed in hominum animis, qui vel ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ in illis est, propter cæcitatem cordis ipsorum, uti habent verba Pauli Ephs. 4. v. 18. vel residuas in mente nebulas, vel per τυφλωσιν, quam idem Apostolus non tam infidelium*

malitiæ, & inimicitiæ, quam Diaboli fraudulentiæ & potentiæ ascribit 2. Cor: 4. v. 4

Adhuc melius paulò infrà pag. 117. deducis hanc scripturæ obscuritatem: ubi inquis.

Ratum ergò habeatur, obscuritatem, & caliginem à divinis literis abesse: difficultatem intelligendi, si quæ occurrit, humanis mentibus inesse, vel potius accidere; partim ex peculiari, qua Spiritus sanctus utitur Styli gravitate, quam Græci δεινότητα vocant; partim ex rerum verbis significatarũ, & captum nostrum excedentium profunditate; partim ex verborum, & rerum indivulso, & impervestigabili commercio, seu communitate. Multò enim mentes nostræ, quæ huius vitæ est ratio, imbecilliores, & impotentiores sunt, quam ut supernaturale lumen immensæ sapientiæ in divinis literis coruscantis, & diffusæ, totum percipere possint, ac recipere. Vt sermo hominis est character animi humani, sic verba scripturæ θεοπνέυςα produnt sensum, seù notionem mentis divinæ, quam tum demum exhauriemus

 riemus

riemus, cum infinita esse desierit.

Optimè, sed scire velim, mi Johannes, quomodo imbecilla nostra ingenia eleventur ad intellectum immensæ sapientiæ in divinis literis coruscantis, puta unitatis divinæ essentiæ, Trinitatis personarum, verbi incarnati, legis observandæ, justificationis impiorum, vitæ æternæ & aliorum ejusmodi spectantium ad fidei Christianæ integritatem? nam rotundè pronuncias, esse in sacro textu rerum, & verborum indivulsum & impervestigabile commertium. Sect. 3. cap. 1. pag. 163. ita decernis: *Interna cordis illuminatio, & informatio omninò & ex asse debetur Spiritui sancto, gratiosè, & liberé illam in convertendis auspicanti, in conversis augenti, neq; sita est, vel in volentis desiderio, vel currentis studio Rom. 9. v. 16.*

Docet porrò & illuminat Spiritus sanctus modo, quoscunq;, & quæcunq; docet, & illuminat non ἀμέσως per internos raptus, & afflatus, quos genus hominum fanaticum

& olim

& olim Monachicum jactare solet, & solebat, sed ἐμμέσως per verbum lectum, non neglectum, auscultatum non repudiatum, receptum, non rejectum, expensum non despectum.

Idq; tum ratione principij, tum incrementi. Per verbum enim fidei scintillam in mentibus suscitat, suscitatæ alimenta, & incrementa suppeditat, ut illustrior fiat. Math. 13. v. 12. Habenti dabitur, & abundabit.

Quæ Spiritus sancti illuminatio, & interna mentis institutio, non antecedit verborum sensum quem ex sacris literis cor hominis assequitur; sed vel hanc ipsam sensus perceptionem sequitur, vel tempore est simul. Eo ipso enim dum homo verbi auditi, aut lecti sensum imbibit, Spiritus sancti luce animum convertendi inficit, & ut assentiatur efficit. Mens, quod in divinis sapit, ex verborum sensu capit, neq; ulla est rerum divinarum sapientia, quam non gignat verborum in sacris literis intelligentia.
Sed ibidem, infrá pag. 173, adhuc clarius te explicas:

Nemo

Nemo lumine fidei perfunditur, & castimonia vitæ imbuitur à Spiritu sancto interius, nisi qui verbum Dei audit, vel audivit exterius. Omnis enim in hoc genere Spiritus sancti actio interna fit per medium verbi externum, & citrà hoc nulla. Neque diversæ, & distinctæ sunt actiones Spiritus sancti, ab actionibus verbi, ita ut peculiari actu illuminet, & doceat Spiritus sanctus, peculiari verbum; sed utriusq; una, eademq; est actio, instructio, & condocefactio; illius, ut causæ principalis, huius, minus principalis, & organica. Neminem Spiritus sanctus illustrat, & docet citrà verbum divinitus patefactum, sed per medium verbi, & ministerij; & verbum docet, atq; illustrat mentes ex præsentia, & potentia, seu virtute Spiritus sancti.

Mirabilis doctrina, quam extendis non solum ad assensum nostri intellectus, verum & ad consensum nostræ voluntatis in eam vitæ castimoniam, quam tradunt sacræ literæ; nec aliam Spiritui Sancto tribuis actionem,

tionem, aut concursum cum humano intellectu, & voluntate, quàm hoc ipsum, quod Deus mediante verbo scripto præstare potest, ac vult. Sed non digredior à proposita quæstione, alij hanc doctrinam, quo ad reliqua examinent; mihi sufficit intellexisse, quid tu sentias de sacræ scripturæ obscuritate, & Spiritus Sancti necessaria illuminatione. Vnũ hac occasione tibi innuere volo. Me in hac quæstione loqui de illa duntaxat scripturarum parte, de cujus sensu concernente essentialia fidei, disputatur inter Christianos,

CAPVT XII.

Biblistarum Regula credendi correcta ad mentem Majoris.

HÆc igitur, cum ita sint, repetamus illas quinque propositiones meas, quibus ego in

priore meo Opusculo cap. 2 explicavi Biblistarum sententiam de credendi regula, & illas ita disponamus, ut tu mecum, ego tecum, ambo in unam conveniamus sententiam de vestra credendi regula.

1. Singuli Christiani possuntdiscordare à sacris literis in fidei essentialibus.

2. Singula Concilia generalia possunt discordare à sacris literis, in fidei essentialibus.

3. Singuli Christianorũ debentdijudicare ex sacris libris, sivè lectis sivè auditis, an quorumcunq; hominũ, etiã Conciliorũ generaliũ doctrina de fidei essentialibus concordet, aut discordet à verbo Dei scripto.

4. Non est alia ratio certò cognoscendi veritatem in fidei essentialibus, quàm consulere Spiritum sanctum ex sacris literis vel lectis, vel auditis.

5. Fides Christiana excludit omnem

nem dubitationem, sed est certa, & infallibilis.

CAPVT XIII.

Conclusiones consequentiarum cap. 3. correctæ.

AT, mi charissimè Johannes, quandoquidèm ambo amicissimè præfatas quinq; propositiones admittimus esse concessas à vestratibus Ecclesijs; videamus, an meæ consequentiæ consistant cū illis antecedentibus. Sed ne fastidium tibi, ac lectori generem, enumerabo conclusiones, quæ meo judicio exindè sequuntur, eo ordine, quo in meo Opusculo digessi meas consequentias: non argumentabor, conclusiones duntaxat assignabo, & corrigam eas, quæ non possunt formaliter deduci ex utrinq; concessis antecedentibus.

Ego itaq; cap. 3. mei Opusculi deduxi undecim conclusiones, quibus exposui, quid muneris, & oneris incumbat singulis Christianis in negotio fidei ex Biblistarum credendi regula. Has undecim conclusiones hoc capite aptabo utrinq; concessis antecedentibus, hac ratione.

1. Nullus Christianorum debet ulli hominum, ullisve Concilijs certò credere, quod non discordent à sacris literis in fidei essentialibus.

2. Nullus Christianus potest certò credere essentialia fidei, nisi scrutetur ex sacris literis, sivè lectis, sivè auditis, an proposita doctrina de fidei essentialibus conveniat cum verbo Dei scripto, an secus.

3. Nullus Christianus potest certò credere essentialia fidei, nisi prius sufficienter legat, vel audiat purum verbum Dei scriptum.

4. Singuli Christiani, singulavè Concilia, etiam generalia potuerunt

errare

errare in decreto de Canone sacrorum librorum.
Nō tamèn proptereà infero, quod omnes erraverint, sèd quod singuli discutere debeant, an erraverint; quandoquidèm errare poterant.

5. Nullus Christianus potest certò scire, illos libros, qui in Biblijs continentur, esse à Spiritu Sancto dictatos, nisi de hac quæstione consulat Spiritum sanctum ex ijsdem libris, siuè lectis, siuè auditis, qui continentur in Biblijs.
Hæc consequentia ab illis necessariò debet admitti, qui asserunt, quod sacri libri suo divino sapore se probent, & astruant sacros.

6. Singuli Christiani, sub pœna mortis æternæ, tenentur cōsulere Spiritum Sanctum ex sacris literis, sivè lectis, sivè auditis, super quæstione de Canone sacrorum librorum.
Nulla verò est tua responsio, Johānes, ad hanc consequentiam. Nam, tametsi dicas, non esse necessarium ad salutem sci-

re distinctionem intèr libros sacros, & Apocriphos, seu non sacros; id tamèn Catholicis congruere potest, qui sacram doctrinam exquirunt ab Ecclesia. Vos vero Biblistæ, qui totius Ecclesiæ doctrinam de fidei essentialibus dijudicatis ex Biblijs lectis, vel auditis, necessariò debetis prænoscere sacros libros, & illos secernere à falsò putatis sacris, qua in re nulli credendum, quod non erret, sed consulendus est Spiritus Sanctus, ex sacris literis, aut certè ex Historia Ecclesiastica, & Lectione Sanctorum Patrum, & Conciliorum. Alioquin, citrà stolidam temeritatem, nemo hominum auderet dijudicare omnium Conciliorum Decreta de sacro Canonè, deq; essentialibus fidei, ex illis libris, de quibus quis dubitat sint ne sacri, an fanatici.

7. Singuli Christiani tenentur sub pœna mortis æternæ perlegere, vel audire legentes omnes, ac singulos libros

libros, de quibus dubitatur sint ne sacri, an secus, diversasq; editiones; versionesq; eorundem librorum ab Hæbraico, Syriaco, Græcoq; idiomate in alia vulgaria, seu Latina idomata sufficienter disquirere, & ad invicem legendo, vel audiendo collationare, ac tandèm definire de Canone librorum sacrorum, de versione, & editione emendatissima; ut ex illa sivé lecta, sivé audita certò scrutentur Biblistæ, an proposita de fidei essentialibus doctrina conveniat cũ puro verbo Dei scripto, an secus.

8. Singuli Christianorum sub pœna mortis æternæ tenentur consulere Spiritum sanctum ex sacris literis, sivè lectis, sivè auditis, an proposita doctrina de essentialibus fidei conveniat, cum ijsdem sacris literis.

9. Singuli Christianorum sub pœna mortis æternæ tenentur ex sacris literis, sivè lectis, sivè auditis certò definire omnes controversias de uni-

tate essentiæ divinæ, personarum trinitate, Verbi incarnatione, Sacramentis novæ legis, præceptis divinis, Ecclesiæ auctoritate &c.

10. & 11. Singuli Christiani tenentur sub pœna mortis æternæ ex sacris literis, sivè lectis, sivè auditis certò definire illas quæstiones de Canone sacrorum librorum, & de essentialibus fidei articulis, quas Ecclesia Christi ab ætate Apostolorum ad hanc usq; diem definivit in tot Concilijs.

Has ergò Conclusiones in gratiam Johannis Majoris emendavi, & adaptavi illis antecedentib⁹, prout ipse in suo examine jussit corrigi, verùm ex hac correctione novam adijcio consequentiam.

Doctores illi, qui ex officio sacros libros vertunt ab uno, in aliud idioma, legunt populo, explicant, & interpraetantur, possunt ex malitia non fideliter prælegere alijs purum verbum Dei. v. g. possunt librum sacrum, partem libri, versiculos, verba, accentus, & alia ejus-

modi

modi addere, demere, immutare. Ergò requiritur peculiaris divina providentia, per quam cautum ſit auditoribus, à tali malitia Doctorum.

Probatur: Quia, ſecundum meum Majorem, Deus nil docet, quòad fidei eſſentialia, niſi ex verbo Dei ſcripto, lecto, vel audito; quod, ſi non ſit auditoribus prælectum, nec ipſi ſciant legere, non poterunt utiq; dijudicare propoſitam doctrinam de fidei eſſentialibus, an ſit conformis illis ſacris literis, quas ex malitia Doctoris, vel non audierunt, vel depravatè lecta, depravatè ex auditu intellexerunt.

CAPVT XIV.

Concluſiones conſequentiarum Cap. 4. correctæ.

CApite 4. mei Opuſculi deduco quatuor concluſiones, exponendo media, & adminicula,

quibus instructi singuli Christianorum satisfacere possint ijs, quæ superiore capite, de necessitate salutis æternæ, præstare tenentur. Verúm tum in præfato, tum in præsenti meo Opusculo non disputo de singulorū Christianorum ætate, sexu, ingenio, eruditione. otio, libris, & promptis doctoribus, aut pastoribus, sine quibus non possunt singuli tantam controversiarum molem certò definire.

Sanè in priore Opusculo tria requiri necessariò posueram, quasi ex omnium Biblistarum sententia : ea sunt Oratio, Spiritus sanctus, ac sacra Biblia. Nunc verò ex reformatis meis quatuor Propositionib⁹, juxtá correctionem, ac castigationem Majoris, pono hanc primam conclusionem.

1. Nullus Christianus potest certò credere essentialia fidei, nisi Spiritus sanctus, per verbum Dei scriptum, lectum, vel auditum doceat eum, an

propo

proposita qualiscunq; doctrina de fi-
dei essentialibus conveniat cum pu-
ro verbo Dei scripto, an secus.

2. Nullus Christianus potest certò credere essentialia fidei, nisi certò sibi constet, se à Spiritu sancto certò, ac infallibilitèr per sacras literas sivè lectas, sivè auditas tunc doceri, cum ex sacris literis approbat, vel damnat quorumcunq; hominum, etiàm generalium Conciliorũ doctrinam de fidei essentialibus.

3. Argumenta illa, quibus singuli Christianorũ sibi certò persvadent, se, uti suprà, esse à Spiritu sancto edoctos, itá debent esse certa, ac infallibilia, ut singuli Christianorum eatenus à Spiritu sancto edocti, teneantur sub pœna mortis æternæ credere, se certius assecutos verum sensum sacri textus, quoad fidei essentialia, quàm assecuta fuerint illa Cõcilia generalia, quæ dijudicantur à singulis illis Christianis descivisse in fidei es-

ſentialibus à vero ſenſu ſacri textus.

4. Singuli Bibliſtarum nimium præſumunt de Spiritus ſancti aſſiſtentia, & ſacræ ſcripturæ propria intelligentia, in exponenda, approbanda, ac damnanda Conciliorum generalium ſententia de fidei eſſentialibus.

Quænam verò ſint illa argumenta, undè ſinguli Bibliſtarū ſibi, uti ſuprà, certò certius perſvadent, ſe eſſe edoctos à Spiritu ſancto ex ſacris literis lectis, vel auditis, dicat ipſe Johannes Major, dicant illi, qui in credendo ſeqvuntur Bibliſtarum regulam.

Ego in priore Opuſculo putabam eſſe diviniſſimos quoſdam ſupernaturales motus, quos perſentiſcerent ſinguli Bibliſtarum, quando Spiritu ſancto aſflantur; at Major meus modeſtiſſimè ſibi, ſuiſq; Saxonibus temperat ab hac præſumptione; fanaticos hoſce afflatus imputans Anabaptiſtis; aliam inducit Spiritus ſancti doctrinam, quam non diſtinguit ab actione verbi ſcripti; cujus

quidem nullæ alia est actio, quàm significare rem verbis scriptis significandam; itaq; Spiritus sancti illustrationem nominat *condocefactionem*, quæ vel non præcedit, vel ad summum simul tempore fit cum verbi scripti significatione. Vt ut sit, qui certissimè credit se edoctum à Spiritu sancto, eo modo, quem inducit Major, necessariò id sibi aliquo argumento svadet: quod argumentũ, si non trahitur ex intrinsecis Spiritus sancti motib9, fortassis ex litera sacra ducitur totius certitudinis argumentum; videant illi; ego nullum video argumentum, sed meram imaginationem. Cum verò argumenta illa sint ijsdem Biblistis, ultimum, in quod logicè resolvitur, & primum principium, undè logicé deducitur Christiana Fides, ex qua æternitas vitæ beatæ, vel mortis miserrimæ, debent cum maxima reflectione examinari.

Caput

CAPVT XV.

Conclusiones consequentiarum Cap. V. correctæ.

CApite quinto deducuntur necessariæ consequentiæ, undè constet, qualisnam foret Ecclesia Christi, si, juxta Biblistarum credendi regulam, Christiani in unũ cœtum coalescant.

Habentur eo capite consequentiæ septem, quarum conclusiones itá emendabo, ut illæ necessariò consequantur utrinq; concessa antecedentia.

1. Singuli Biblistarum putant, illos solummodò constituere veram Ecclesiam Christi, qui eam de fide doctrinam profitentur, quam quis, consulto ex sacris literis lectis, vel auditis Spiritu sancto, certò judicat ijsdem sacris literis, quoad fidei essentialia, conformem.

2. Tot sunt putativæ Ecclesiæ Christi, quot sunt capita Biblistarũ, qui consulto Spiritu sancto ex sacris literis lectis, vel auditis, contradictorias in fidei essentialibus tenent sententias.

3. Nullum extat in orbe Christiano publicum Judicium, quo secernatur unica vera Christi Ecclesia, ab alijs falsò putatis Christi Ecclesijs. Nimirum, quia nullus Biblistarum ducitur ullius hominis, vel etiàm totius Ecclesiæ auctoritate, quasi ea sit non subjecta erroribus in fidei essentialibus: sed singuli singulorum, & omnium doctrinam immediatè dijudicant ex sacro Codice.

4. Nullus Christianus, vel Christianorum cœtus extat, qui eam habeat docendi jurisdictionem, per quam alij Christiani eidem teneantur credere in fidei essentialibus, inconsulto Spiritu sancto ex sacris literis lectis, vel auditis.

5. Nulla

5. Nulla extat in orbe Christiano Jurisdictio Ecclesiastica, videlicet concionandi, sacramenta administrandi, leges Ecclesiasticas condendi, Judicia Ecclesiastica exercendi, quam singuli Christiani, antequàm eam jurisdictionem subeant, non teneantur prius consulto Spiritu sancto ex sacris literis, vel lectis, vel auditis, dijudicare sacræ scripturæ conformem, cui subijciantur, vel contrariam, cujus jugum, si possunt, de facto excutiant.

6. Omnis, ac tota Jurisdictio Ecclesiastica subijcitur turbulentissimæ quorumcunq; Christianorum libidini, & inscitiæ, sub prætextu privati, certiq; judicij de vero sensu sacri textus, quo ad fidei essentialia.

7. Christi Ecclesia, in unum collecta per talem credendi regulam, necessariò est confusus sciolorum cœtus, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Caput

CAPVT XVI.

Conclusiones consequentiarum Capitis VI. correctæ.

HÆc ex quinto capite. Supersunt reliquæ consequẽtiæ, quas cap. 6. prioris Opusculi digessi; has quoq; volo emendare; & itá aptare, ut sponté fluant ex nostris antecedentibus; unicam superaddidi, scilicèt tertiam.

1. Omnia generalia Concilia, quomodocunq; in Ecclesia Christi congregata, quæ anathemate damnarunt omnes, ac singulos ex sacris literis lectís, vel auditis dijudicare præsumentes Conciliorũ doctrinam de fidei essentialibus, detestandam tyrannidem exercuerunt in totam Christi Ecclesiam, contrà verbum Dei scriptum.

2. Revocantur in dubium, apud singulos Christianos, omnes hæreses à præfatis Concilijs damnatæ: donec singuli

desuper

desupèr consulant Spiritum sanctum ex sacris literis lectis, vel auditis.

3. Revocantur paritèr in dubium, apud singulos Christianos, omnia Symbola fidei, & Conciliorum generalium, imò totius universalis Ecclesiæ decreta seù placita in fidei essentialibus, donèc singuli desupèr consulant Spiritum Sanctum ex sacris literis lectis, vel auditis.

4. A primorum Conciliorum ætate, ad hanc usq; diem, nullus in Ecclesia Christi extitit publicus verus cultus Dei.

5. Vera Christi Ecclesia, à primorum Conciliorum ætate, delituit ignota sibi, & mundo.

CAPVT XVII.

Denuò proponitur, & discutitur Quæstio de Regula credendi.

EXaminasti ergò, castigasti, cõfutasti, Domine Johannes, meas consequentias; sed quàm apposité ad finem, quem intendis, satis, superq; vides. Verum, ne tanta conclusionum, seù consequentiarum farrago te, vel alios fatiget, & facile, clarumq; judicium turbet, aut præpediat, unico Dilemmate cuncta complector. Vel datur in Ecclesia Christi unus homo, aut unus Christianorum cœtus, cui, proponenti doctrinam á Deo revelatam, quo ad essentialia fidei, certò, ac infallibilitèr singuli, inconsultis sacris literis credere, citrá periculum erroris, in fidei essentialib⁹, possunt, ac tenétur, vel non datur talis homo, aut hominũ Christianorũ cœtus.

Vide, Johannes, ac intellige hoc Dilemma versari inter terminos cõtradictionis; ac proindè nõ dari medium, quo illa extrema conciliari possint; datur ergò in Ecclesia Christi talis

talis homo; aut hominum Christianorum cœtus.

Si dixeris mihi; quod datur, eo ipso tibi contradicis, & proximè accedis ad tuos PapanòCatholicos. Illi enim dicunt dari talem virum, talem Christianorum cœtum, cui reliqui omnes, citrà erroris periculum, inconsultis sacris literis possunt, ac tenentur credere, quod in fidei essentialibus non discordent à sacro textu. Ecquidem Catholicis licet Pontificũ, Conciliorumq; Decreta concernentia fidei essentialia examinare ex sacro textu; modò id non attentent dubitabundi, sint ne illa Decreta sacro textui conformia.

Sin verò constantèr neges dari talem hominem; vel talem Christianorum cœtum; ego infero in optima consequentia, vel nullum extare fidei Christianæ infallibile fundamentum, vel singulos Christianos adultos infallibilitèr posse, ac debere apud se approbare, vel damnare quorumcunq; hominum propositam

positam doctrinam de fidei essentialibus.

Si dicas nullum extare in Ecclesia Christi fidei Christianæ fundamentum; ut quid disputamus de comuni fabula? in eo casu, ut monui in conclusione prioris Opusculi, ego secederem à Christo.

Si autèm dicis extare infallibile fundamentum fidei Christianæ, peto abs te, quod nam illud sit? Haud dubium quin respondeas, esse infallibilem auctoritatem Dei loquentis in sacris literis singulis hominib9, consulentib9 ex ijdem sacris literis lectis, vel auditis, an proposita à quocunq; doctrina Christiana conveniat cum verbo Dei scripto, an secùs.

Optimè: at ego (si talis supponatur Regula fidei) moveo omnes sequentes quæstiones, antequàm recipiam sacrarum literarum auctoritaté.

1. Vtrùm existat Deus?

2. An extiterit Moyses, & Prophetæ?

3. An Deo dictante scripserint sacros libros veteris testamenti?

4. Quo idiomate scripserunt?

5. Quis transtulit in nostra vulgaria idiomata?

6. An in ea translatione peccatum sit, vel ex malitia, vel ex ignorantia?

7. An extiterit homo, qui dicitur Jesus?

8. An hic homo fuerit missus à Deo Salvator Mundi, ut dicunt Christiani; an verò fuit magus, & seductor, ut asserunt Judei?

9. An extiterint Apostoli, & Evávangelistæ?

10. An hi scripserint libros sacros novi testamenti?

11. An scripserint dictante Deo?

12. Quo idiomate scripserunt?

13. Quis transtulit illorum scripta in nostra vulgaria idiomata?

14. An in hac translatione peccatum sit, ex malitia, vel ex ignorantia?

15. An

15. An codex utriusq; testamenti, qui mihi exhibetur, sit emendatus, & per omnia respondeat primo exemplari?

16 Extent ne prima exemplaria eorum librorum?

CAPVT XVIII.

Quæstio de Regula credendi non potest solui ex solis sacris literis.

HIsce quæstionibus satisfieri debet priusquã singuli Christiani consulant Spiritum Sanctum ex sacro textu, an proposita illis doctrina, à quocunq; homine, vel hominum cœtu, conveniat cùm sacris literis, an secùs. Nam ridiculum foret præfatas quæstiones omnes solvere ex sacris literis, quandoquidèm nulla apud virum sanæ mentis possit consistere sacrarum lite-

terarũ auctoritas, antequàm omnes illæ quæstiones aliquo modo solvantur.

Quomodó enim ego consulam Spiritum sanctum, si ignoratis sacris literis, nescio Spiritum sanctum?

At dices; Spiritus sanctus est missus à Patre, & Filio. Ego verò, antè solutas illas quæstiones, perindè ignoro Patrem, & Filium, ac nescio Spiritum sanctum.

Vt quid ergo vos Biblistæ estis tám simplices, ut per saltum transilitatis tot, tantasq; quæstiones; & jubeatis singulos immediaté quorumcunq; hominum doctrinam de fidei essentialibus dijudicare ex sacro textu lecto, vel audito?

Verùm tu mihi fortassis respondebis, eas quæstiones locum habere apud Æthnicos, & Paganos, non autém apud Christianos.

Ego verò dico insanum, & planè fatuum illum hominem, siué sit Æthnicus

nicus, sivé sit Christianus, qui quæstiones illas apud se solvat sine argumentis, quæ argumenta, si nō fuerint infallibilia, concidit tota fides Christiana, nec illa possunt duci ex sacro textu.

Sanè, si ad contactū textus sacri illuminarentur cœci, resurgerent mortui, fidem ea miracula conciliarent illi codici, & doctrinæ, quam continet; quod verò sacræ literæ suo sedivino sapore prodant, ac probent; levius est argumentum, quàm ut sufficiat ad captivandum in obsequium Christi orbem terrarum, & omnem altitudinem intellectus extollentem se adversus scientiam Dei.

Sanè ego video illa litera excæcacari (vobis testibus) populos, ac nationes, & in seditionem verti penè ipsum humanum genus; & si requiro historiam, vel doctrinam, quam continet, nullum deprehendo Philosophicum argumentum; sed dicta-

ta docentis ex auctoritate, & doctrinâ, quæ, eò quod superat humanum captum, videtur in multis obruere lumen rationis.

Non ergò illæ quæstiones possunt solvi ex sacro textu, & tamen, nisi per argumenta infallibilia solvantur, concidit (ut dixi) totius Ecclesiæ, & fidei Christianæ fundamentum. Nititur ergò Christiana fides alijs argumentis, prætér sacrum textum, vel fabella est Christianismus.

Peto ergò abs te, mi charissimè Johannes, peto ab alijs Biblistis ea argumenta, quibus infallibilitér mihi constet de veritate præfatarum quæstionum; itaut sufficientissimé mihi constet, oblatum codicem continere purum verbum Dei existentis, viventis, & per Jesum nos alloquentis, ac invitantis ad hæreditatem filiorum Dei. Quis scit? fortassis per illa argumenta solvi possunt aliæ plures quæstiones, quæ disputantur intèr

Chri-

Christianos.

Sed esto, sint illæ quæstiones solutæ. Constet certò certiùs, Deum existere; Jesum esse mundi redemptorem; hunc codicem continere purum verbum Dei; quid si ego dicam, me ex imbecillitate ingenij non posse (sunt tua verba ò Johannes) *diligentèr meditari scripturam, textus parallelos conferre, analogiam, quæ est in fide observare, & sufficientèr in praxi applicare?* Vnitatem, & attributa divinæ essentiæ, personarum in divinis distinctionem, Verbi incarnationem, legis observantiam, Sacramentorū ritus, & alia ejusmodi sexcenta excedere mei ingenij debilitatem? Quid, inquam, si ea sit mentis meæ imbecillitas, faciendo vitam æternam possidebo? Nulli hominum nec toti Ecclesiæ possum credere; quandoquidém secundum Biblistarum sententiam, omnes possunt errare in fidei essentialibus, Spiritum verò sanctū

me ex sacro textu alloquentem non possum audire, seu sensum illius capere, siquidém ex mea ignavia, & invincibili stoliditate non valeo *diligentèr meditari scripturam; textus paralellos conferre; analogiam, quæ est in fide observare; & sufficientèr in praxi applicare.* Ejusmodi vero stolidorum plena sunt omnia.

At verò, nec desit ingenium, nec otium, nec voluntas scrutandi ex sacro codice, an, quæ hactenùs Ecclesia in tot Concilijs vel approbavit, vel damnavit circá fidei essentialia, conveniant cum sacro textu; tamén adhuc una superest maxima difficultas; nempè, quo argumento ego mihi ipsi certó, ac infallibilitér persvadere possum, ac debeo, me non errare tunc, quando, consulto Spiritu sancto, ex sacris literis lectis, vel auditis, vel approbo, vel damno aliorum, puta alicujus, vel aliquorum generalium Conciliorum doctrinam de fidei

dei

dei essentialibus? Quid dicis, mi Johannes? cujusmodi est illud argumentum? Verbum, inquis, Dei scriptum, seù Deus, loquens per scripturam sacram, omnem dirimit quæstionem de fidei essentialibus.

Hæc est Biblistarum lana caprina, quæ definitur pili caprarum: ò Logicos simplices: ò Theologos levissimè suasibiles.

CAPVT XIX.

Quantus, qualisvè sit Biblistarum error.

SEd tandém cogit veritatis amor, & urget Christi charitas, hunc crassum errorem liberiore censura perstringere. At prius rogo singulos Biblistarum, ne putent me transferre errorum censuram in eos, qui errant; amo singulos, observo, scio plurimos Christo

non indevotos, ſcio eruditos, acri ingenio á natura donatos, & tamén ita deſipere video, ut me pudeat, & noſtræ ætatis, & penè dixerim generis noſtri, quod videlicét non intér bruta, ſed intér naturas intellectuales computari, tamén, haud exigua hominum pars reperiatur, quæ in negotio, undè æternitas, tàm pueriliter, ne dicam ſtolidè, hallucinetur.

Deus bone, quæ eſt humani ingenij imbecillitas? teſtor Deum immortalem, quod in rebus humanis, quas intér Chriſtianos obſervavi, nil æqué meam extollit admirationem, ac penè in ſtuporem vertit, quàm quod, auctoribus Monacho Sacrilego, Monialis Sacrilegæ concubino, & altero Sacerdote nefandi criminis reo, manuq; carnificis publicè uſtulato, videam Hungariam, Poloniã, Germaniam, Svetiam, Daniam, Norvegiam, Belgium, Angliam, Galliam, Helvetiam &c. hactenus pené

in

in seditiones, & furores versas, quod crederent Pontifices Romanos cum generalibus Concilijs desciviſſe à verbo Dei ſcripto, ac propterea omnes in id incũbere, ut ex sacro textu lecto, vel audito, singuli seorsúm expendāt, dijudicent, reforment, approbent, damnentq; universalis Ecclesiæ decreta concernentia fidem Christianam, spem æternæ vitæ, & audaciam propulsandæ mortis æternæ collocantes in vana, ne dicam fanatica imaginatione, quod singuli certiùs edoceantur à Sancto Spiritu ex sacris literis lectis, vel auditis, quàm sacri Pontifices, & generalia Concilia, quorum auctoritas apud enumeratas nationes ante annum 1517. erat Sacrosancta, paucis respectivé exceptis Vssitis in Boëmia, & nescio an alijs alibi.

Novi ecquidém hactenùs in Ecclesia Christi extitiſſe hæreses, quæ mundum Christianum, pené à fundamen

tis exagitare videbantur; semél obstupuit Orbis se esse Arrianum; at veró longé minore ignavia, & stolidi-tate: illi consvetã Ecclesiæ faciem externã nec dehonestare, nec temerare, sed cõservare satagebant. Vnũ aut alterum verbum in Symbolo fidei immutatum, si demas, vidisses Arrianismum, haud absimilem Catholicismo; &, quod maximé notandum est, támetsi unus, aut plures suas sententias ex sacro textu opponerent decretis generalium Conciliorum, tamén illa insania haud dimanabat ad singulos; imò nec pauci illi Hæresiarchæ audebant suam ita exagerare auctoritatem, scientiam, & præsumptam Spiritus Sancti assisteutiam, extraordinariamq; divinam vocationem jactare, quin eam munire tentauerint auctoritate multorũ Episcoporum, Archiepiscoporũ, nec nõ Patriarcharum, qui (si spectes externos ritus nõ enim conveniebant furores,

cer-

cerdones, lanarij, & fullones) referebant formatas Oecumenicas Synodos, qua externa specie ipsi Cæsares, & Imperatores, non semel decepti, sua Imperiali, & Regali auctoritate majorem erroribus illis illiniverunt veritatis fucum.

Moderna verò Christianæ doctrinæ prætensa reformatio, tria habet, quæ nescio an alia hæresis unquám simul conjunxerit.

1. Nimirùm primi, ac præcipui auctores reformatarum (ut ajunt) Ecclesiarum fuère præfati duo Sacerdotes, quos modestia, & pudicitia vel cogitare vetat. Deus bonè qualia monstra?

2. Deindé non unum, aut alterum fidei articulum reformarunt, sed pené universa.

Ex Canone scripturarum duodecim circitér libri expuncti.

Centuriæ aliquot textuum delectæ, vel immutatæ.

Editio

Editio vulgata antiquissima damnata.

Antiquissima nomina Ostiariorū, Lectorum, Exorcistarum, Acolitorum, Subdiaconorum, Diaconorū, Sacerdotum, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, in odium antiquæ religionis abolita.

Jura Ecclesiastica maxima ex parte in Principes politicos translata.

Supremum in condendis fidei decretis judicium, à Concilijs generalibus, in singulos, singulasvè devolutum.

Ex septem Sacramentis, quinq; sublata.

Missæ sacrificium damnatum.

Vota Monastica eliminata.

Cultus, & invocatio Sanctorum, Sacrarum imaginum, & reliquiarū veneratio, suffragia pro defunctis, Purgatorium, Jejunia Ecclesiastica, plané abolita.

De libero arbitrio, justificatione impij

impij, merito bonorum operum, possibilitate legis observandæ, jurisdictione Ecclesiastica, externis Ecclesiasticis ritibus, & de alijs ejusmodi sexcentis nova dogmata, & ad invicém contraria introducta. Estnè relictus in mistico Christi corpore vulneri locus?

3. Demùm hæc indiscreta Christianæ doctrinæ præsumpta reformatio, nulla nititur auctoritate Episcoporum, qui vel externam referant speciem conciliabuli alicujus, si non œcumenicæ Synodi. Porrò hisce tribus notis distinguuntur Biblistæ ab omnibus alijs hæreticis, qui hactenús Christi Ecclesiam turbarunt. Quæ cum itá sint, tamén hic morbus totam pené pervasit, & infecit Europam, adeó ut mirandum sit, præclaras nationes eò usq; deflexisse, non dicam à fide, sed à regula ratiocinandi; nam evidentissimé singuli resolvunt propriam fidem in pro-

priam

priam ſententiam de ſenſu ſacri textus lecti, vel auditi, quod ſané (igno ſcant rogo) nimiam involuit ſtoliditatem. Verúm libet inquirere cauſas tanti erroris.

CAPVT XX.

Bibliſtarum Scandala.

EGo ſané, ſi ſemel admitterem generalia Concilia à Romano Pontifice approbata, vel erraſſe, vel poſſe errare, momento, citrá ullum ſcrupulum ex tali antecedente poſito, ac conceſſo, inferrem non Calviniſmum, aut Lutheraniſmum, ſed Atheiſmum, & fatuum exiſtimarem illum, qui ſperaret ſe vel intellecturum, quæ illi ignorant, vel à Deo obtenturum, quæ illis fuère denegata.

Secùs hujus ætatis Bibliſtæ. Sperant enim ſinguli ſeorſúm poſſe reſtituere

tituere penè collapsam Ecclesiam, si doctiores scrutentur assidua lectione sacras scripturas, singuli veró auditis sacris literis, apud se ultimam ferant sententiam, an illi Doctores consentiant, in fidei essentialibus, cùm sacris litteris, an secùs.

Quoniám verò id videtur arguere manifestam stultitiam, nedùm stoliditatem, nec dubium, quin homo nō Christianus dementiæ accusaret hos homines, cúm tamén, qui id vel maximé docent, sint nec fatui, nec stolidi, sed prudentes, eruditi, & perspicacis ingenij, inquirere volo si quod est sophisma, quo decepti excusare possint tàm ignavum errorem.

Nec mora, dicam quod sentio. Duo sunt, quæ volentibus altum scandere, scandalo fuere altum sapientibus, scilicét sacra scriptura, & necessarium cujusq; personale judicium de veritate articulorum fidei.

Hisce scandalizantur Biblistæ,

nàm ſupponunt, ſingulos vocari ad fidem, modò velint ſalvari; fidem ſingulorum nil aliud eſſe, quàm ſingulorum perſonale judicium de veritate credibilium. Nullam eſſè certiorem auctoritatem, quàm Dei nos alloquentis in ſacris literis, & conſequentèr ſinguli conantur ex ſacris literis lectis, vel auditis ferre ultimam ſententiam de veritate eorum, quæ credere jubentur.

Sed, quo meliús exponam hæc Biblistarum ſcandala, dico, quod illæ aſſertiones habent indubitatam, & evidentiſſimam veritatem; nimirùm.

Nemò poteſt ſalvari ſinè fide.

Fides eſt cujuſvis hominis fidelis judicium perſonale de veritate credibilium.

Nemo poteſt certò credere articulum fidei, niſi eo argumento, quod, Deo teſte, verus ſit ille fidei articulus.

Deus, per ſacras literas nos docet plurima, quæ concernunt articulos fidei.

Hinc verò ſequi videtur, quod ſinguli debeant immediaté judicare de veritate articulorum fidei ex ſacris literis le-

ctis, vel auditis; & licet adhibeant Pastores, ac Doctores, qui sacrum textum proponant, & explicent, tamèn cùm fides sit personale singulorum fidelium judicium de veritate articulorum fidei; cùm, inquam, nullum extet (sic enim sentiunt) aliud argumentum comprobandæ illius veritatis, quàm auctoritas Dei nos docentis per sacras literas; omnia, quæ à Doctoribus dicuntur, probant, & quod singuli suoptè judicio verum judicant, hoc tenent. En Biblistarum offendicula, & scandala; hinc accidit hac nostra ætate illud, quod Hieronymus scribit ad Paulinum.

Quod Medicorum est promittunt medici; tractant fabrilia fabri; sola scripturarum ars est, quam sibi omnes vendicant; scribimus indocti, doctiq; poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequàm discant. Alii, adducto supercilio, grandia verba trutinantes, intèr mulierculas de sa-

cris literis philosophantur, alij discunt prò pudor! à fœminis quod viros doceant, &, ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, imò audacia, edisserunt alijs, quod ipsi non intelligunt,

CAPVT XXI.

Tollitur primum Biblistarũ Scandalum.

AT decipiuntur Biblistæ, extstimantes se niti pura, ac immediata auctoritate Dei revelantis per verbum suum scriptum: cùm nitantur propria explicatione verbi Dei scripti: quapropter illorum fides, dum sese attolit, ut immediaté inhæreat Deo unicé docenti per verbum suum scriptum, scãdalizata relabitur á verbo Dei scripto certo, ac infallibili, in propriam cujusq; verbi Dei scripti explicatio-

nem

nem humanam, ac fallibilem.

Est enim evidentissima, & essentialis distinctio intèr textum quemcunq; , & ejusdem textus commentarium, seù explicationem.

Sit textus unus; sit à parte rei ejus textus sententia vera, ac infallibilis; tamèn possunt illius textus plures dari explicationes, quarum fortassis nulla est vera, vel si aliqua est vera, ea non nisi unica esse potest; ni velimus duos concedere sensus literales.

Ergò est itá dubium, an Biblistæ immediaté nitantur puro verbo Dei, vel propria humana explicatione, quàm est certum, & evidens, textum realitèr distingui à commentarijs, seù explicationibus ejusdem textus: ejusq; sensum verum, quò ad fidei essentialia, non per omnia esse conspicuum promiscuæ multitudini vocatæ ad Christi Ecclesiam.

Qui id non intelligit, accedat Bibliothecam aliquam insignem, in-

qua ad oculum contempletur unum codicem sacrum, & innumeros ejusdem sacri codicis commentatores, seù explicatores, qui non conueniunt in una sententia de sensu scripturarum, quoad fidei essentialia.

Ergò promiscua Biblistarum turba descivit ab auctoritate Ecclesiæ, decepta, quod crederet se præferre auctoritatem sacri textus auctoritati Conciliorum, ac Pontificum, cùm revera singuli præferant suam propriam sacri textus explicationem, explicationi, & decretis generalium Conciliorum, ac praxi universalis Ecclesiæ per tot secula militantis. Heu; quantæ molis erat secernere textum á commentario? Hæccinè distinctio ignorata Christianum Orbem ita concussit? O iram divini numinis.

Sed quid illi ad hæc? Duo habent effugia. Pudet illos, se eatenùs fuisse deceptos, nec tamén pudet non emendare perniciosissimum errorem, quærunt effugia. Dicunt nonulli, at non si-

nè erubescentia, sacrum textum esse clarum: *Lucerna* (aiunt) *pedibus meis verbum tuum.*

Deus bone! quales nugas comminiscuntur homines isti! Solvant priùs suprà propositas quæstiones antequàm hiscere audeant de sacri textus auctoritate. Sed esto; sint solutæ: quid dicam? Erat cur excusaremus primum errorem; nàm sophisma illud habet speciem veritatis; sed hic novus error, quo excusare contendunt priorem, ipso sensu ad oculum Orbi universo singulis penè momentis à non fatuis dignoscitur error. Ergònè omnia essentialia fidei, citrá ullam explicationem omnibus patent ex sacro codice? Vt quid disputamus de tot essentialibus fidei ex sacris literis per totum terrarū Orbem jàm inde à sexcentis circitèr annis? Vnde bella, & lites in vobis? nonnè hinc? ex commentarijs sacri textus, quæ militant ad invicèm? Explicatis, & ignoratis, damnatis; &

tis, & zelatis, nec potestis in uno sésu quiescere, litigatis, & belligeratis, nec unquàm coitis in unam sententiam de sacrarum literarum sensu: & tamén sunt, qui dicant, sacrum textum, quòad fidei essentialia, esse itá clarum, ut non indigeat explicatione? cum ejusmodi hominibus non est disputandum, quandoquidèm sensum negant.

Meliusculè alij, vel ijdem, qui supra. Hi volunt: sacras literas sic esse claras, ut tamèn egeant Sancti Spiritus assistentia, quâ, citrà erroris periculum, intelligantur quòad fidei essentialia. O quàm bene! Videlicèt, tanta est sacri textus obsuritas etiàm quoad plura fidei essétialia, respectivé ad nostri intellectus imbecillitatem; ut propteréa impossibile sit cavere ab omni errore, nisi Deus ipse superaddat naturæ viribus supernaturalia dona. Et tamèn hi jactant sacræ scripturæ claritatem: jactent poti-

potius Spiritus Sancti infallibilem assistentiam. Haud dubium jactant: & homines isti pro minimo habent devoluisse à summis Pontificibus, ac generalibus Concilis in se ipsos supremum judicium de essentialibus fidei ex sacris literis, nisi etiám ad id muneris sibi singuli præsumant infallibilem Spiritus Sancti assistentiã, & quidém adeó, ut revera singuli Biblistarum sibi plùs tribuant in hiscè fidei negotijs, singulis diebus, quàm tota Ecclesia Catholica sibi tribuat in Concilio duntaxát generali, vix intrá centum annos semèl celebrando. Nàm, non insanus, vel non obcæcatus haud negabit, quod judicare ex sacris literis lectis, vel auditis, an Conciliorum, generalium Doctrina de fidei essentialibus conveniat cum sacro textu, an secùs, nil aliud sit, quám agere supremum Judicem in Orbe terrarũ omnium essentialium controversiarum fidei. Hos

Biblistas ablego ad nostras consequentias, quibus satisfaciant. Venio ad secundum Biblistarum scandalum.

CAPVT XXII.

Tollitur secundum Biblistarum scandalum.

Concedo, quemlibet Christianum proprio, ac suo personali judicio teneri judicare de veritate articulorum fidei.

Concedo, quemlibet Christianum debere judicare articulos fidei esse veros, propterea quod Deus itá revelavit.

Concedo, sacrum textum continere purum Verbum Dei divinitús revelatum.

At distinguo intér credere Deo revelanti v. g. Jesum esse filium Dei, & credere Deum revelasse, Jesum esse filium Dei.

Nemo

Nemo Christianorum quæsiverint, aut dubitaverit, sit nè credendum Deo revelanti? Ecquidèm aliqui non Christiani interrogabunt, existat nè Deus?

Plurimi Christianorum quærunt, sit ne verum, hos fidei articulos esse à Deo revelatos?

Nulla ergò superest quæstio intér Christianos, an Deo revelanti sit credendum?

Sed superest quæstio, quænam sit illa doctrina, quam Deus revelavit?

Quis hanc quæstionem solvet? Singuli nè, & singulæ?

Ego quæro mihi magistrum, qui me doceat Astrologiam; at per hoc non quæro argumenta, unde ego, necdùm discipulus, judicem doctrinam futuri mei magistri in Astrologia, utrúm à parte rei respondeat cœlis, & astris?

Quæro ecquidém testimonia, & alia argumenta, quibus ego mihi itá persvadeam futuri magistri eruditionem in Astrologia, ut tutò illi credere possim velut magistro, puta quod sit promotus

in

in Parisiensi Vniversitate. Quod, publica fama referente, sit Astrologiæ peritissimus. Quod multa futura prædixerit ex stellarum aspectu.

Habeo causam apud Judicem, volo mihi deligere Procuratorem, argumenta quæro, ut intelligam, an ille sit legum peritus: at non propterea ego dijudico illius processum in defendenda mea causa, sed exterinseca inquiro argumenta, quibus in genere concludam apud me, quod adeò sit legum peritus, ut tutò illi credere possim meam causam.

Audio pervulgatam famam, Deũ, per Jesum à Nazaret, vocare peccatores ad vitam; quæro, qui me certò, ac infallibilitér edoceat doctrinam Dei, per Jesum Christum humano generi revelatam. At non propterea expendo futuri magistri sententiam, an bené doceat: argumenta duntaxàt quæro, quibus mihi persvadeam, meum magistrum, nec decipi, nec

nec decipere in proponenda mihi sacra doctrina.

Ergò singuli Christianorum tenentur credere articulos fidei eo argumento, quod sint à Deo revelati.

Hoc judicium est personale singulorum Christianorum.

Singuli eatenús judicant immediaté de veritate omnium articulorum fidei.

Nullus tenetur ulli hominum, nec toti simul Ecclesiæ hoc judicium deferre.

Ego enìm non credo Deo propterea, quod universalis Ecclasia testetur Deum non decipi, nec decipere.

Qui dubitat an Deus decipiat, vel decipiatur, potiori jure dubitab t; an totum genus humanum, nedùm Ecclesia tota decipiat, aut decipiatur.

Cæterùm, quod existat unus Deus, qui per Jesum à Nazaret vocavit ipsú humanum genus ad vitam æternam, quodvé propterea doctrinam, seu legem

legem promulgaverit, instituéritq; intér mortales Regnum Cœlorum, cujus non sit futurus finis; hoc est Ecclesiam Dei universalem, nulli asserenti creditur, nisi asserentis, seù asserentium auctoritas ijs rationibus stabiliatur, quæ ipsum genus humanum convincere, ac per omnia sæcula in obsequium Christi captivare queant. Deme hanc auctoritatem, eo ipso sustuleris fidem in Deum, ipsumq; Regnum Cœlorum. Pone hanc auctoritatem esse sacrum codicem à singulis legendum, vel audiendū. eo ipso Ecclesiam repleveris ridiculis, puerilibus, innumeris, & æternis disceptationibus, Hic nil repeto; ad ea, quæ suprà dixi provoco Lectorem.

CAPVT XXIII.

Omnes quæstiones de fide, ad unicum Syllogismum reuocantur.

Sed

SEd quò diſtinctiùs, & evidentiùs ſecernam illa, quæ hactenùs apud multos confuſa, plurimis offendiculo fuere, unico Sylogiſmo, ſinè quo nemo hominum fidei articulos poteſt accuraté credere, omnes de fide quæſtiones ad unum punctum revocabo. Id eſt:

Omnis doctrina à Deo Eccleſiæ revelata eſt certa, & infallibilis.

Hæc doctrina (puta Symbolum Apoſtolorum) eſt à Deo Eccleſiæ revelata.

Ergò hæc doctrina (puta Symbolum Apoſtolorum) eſt certa, & infallibilis.

Dico igitur, quòd judicium illud, quo judicamus præfati Sylogiſmi concluſionem eſſe veram, ſit actus fidei internus; ac perſonalis illius hominis, qui eatenùs judicat concluſionem illam, ſiné quo juditio nemo hominum credit (uti decet) articulos Chriſtianæ fidei.

At nemo hominum judicat illam concluſionem eſſe certam, & infallibilem, niſi priùs judicet præmiſſas, ſeù priores duas Propoſitiones eſſe paritèr

certas

certas, & infallibiles Nàm implicat contradictionem, si ponatur conclusio certa, & præmissæ judicentur dubiæ; cùm sit impossibile ullam certitudinem inesse conclusioni, quã præmissæ, ut judicantur veræ, non influant in ipsam conclusionem.

Prima verò præmissarum hæc est: *Omis doctrina à Deo Ecclesiæ revelata est certa, & infallibilis*: quæ, tametsì judicetur vera, non tamèn creditur. Sanè judicamus verissimam, & infallibilem, at non juditio fidei, cujus actus est credere. Nam juditium fidei resolvitur in auctoritatem Dei revelantis: at ridiculum foret credere Deo revelanti, quod ipse Deus revelans, nec decipiat, nec decipiatur in ipsa sua revelatione. In hoc enim casu supponuntur duæ revelationes divinæ; per primam revelatur veritas Symboli Apostolorum; per secundam revelat Deus se in prima, atq; adeò iu omni revelatione nec decipi,

decipi, nec decipere. Verùm si cui licuit in dubium revocare primam revelationem, licebit, & dubitare, an Deus decipiat, vel decipiatur in secunda revelatione, & itá deincèps, in tertia, & quarta, usq; in infinitum; quapropter dicimus, nec credi Deo, quod Deus, nec decipiat, nec decipiatur; sed illa ipsa argumenta, quæ convincunt existere Deum, simùl cō-vincunt Deum non subesse ulli deceptioni, sivè activæ, sivè passivæ. Verùm de his aliás oportuniùs disserendum est.

Altera verò præmissarum nimirùm: *Hæc doctrina (puta Symbolum Apostolorum) est à Deo Ecclesiæ revelata*, est quoq; certa, & infallibilis, & á fideli Christiano judicatur certa, & infallibilis, at nō creditur, ut de fide; nil enim creditur ut de fide, nisi eo argumento, quod Deus revelaverit Ecclesiæ id, quod proponitur ut de fide credendum, ac proindè, qui diceret,

illam propoſitionem credi tanquàm certam de fide, is neceſſariò præſupponeret, Deum revelaſſe Eccleſiæ, quod Symbolum Apoſtolorum ſit à Deo Eccleſiæ revelatum; quod ſanè involuit, & ridiculam nugacitatem, & proceſſum in infinitum, in probanda una revelatione Divina per aliam.

Sunt inquam nugæ ridiculæ, quod Deus revelet Eccleſiæ, quod revelaverit Eccleſiæ, nàm Eccleſia eſt una, quæ propagatur per loca, & ſecula, ac proindè nugæ iſtæ diſtinguendæ, vel moderandæ ſunt, ne in ſtultitiam vertantur; nimirùm dicendum foret; Deum revelaſſe illi parti Eccleſiæ, quæ nunc Deo militat, ſe revelaſſe Eccleſiæ, quæ hactenùs Deo militabat, Symbolum Apoſtolorum eſſe verum.

Sed neq; hac moderatione cavemus nugis illis ab evidenti ſtultitia; quis enim ætatem Eccleſiæ diſtin-

guat

guat per ea interualla, & periodos, in quibus reperiuntur novæ revelationes, quibus hisce nunc revelatur à Deo, se hactenùs revelasse alijs? Tædet animam meam nugarum istarum. Facessant.

At quis obijciet, hac ratione non fore hæreticum illum hominem, qui neget has præmissas.

Omnis doctrina à Deo Ecclesiæ revelata, est certa, & infallibilis.

Hæc doctrina (puta Symbolum Apostolorum) est Ecclesiæ à Deo revelata.

Respondeo: eum, qui has propositiones negaret, non fore hæreticū, sed hæretico pejorem; is enim esset infidelis; puta Ethnicus.

Cui ergò credendum est, Deum revelasse Ecclesiæ hanc, non autèm illam doctrinam? puta Catholicam, non Lutheranam, vel Lutheranam, & non Calvinisticam?

Sanè, si revelatio facta sit hac nostra ætate alicui privatæ personæ; huic

huic neutiquàm crederem; sin verò supponatur facta Ecclesiæ, nec Ecclesiæ credendum est, nisi adhibeantur rationes, seù argumenta, quibus constet, Ecclesiam in ea propositione doctrinæ revelatæ, nec decipi, nec decipere. Ego enim fatuũ dico illũ, qui auctoritate ullius commovetur ad credendũ, nisi ea auctoritas rationibus comprobetur, nec subjecta activæ, nec passivæ deceptioni; alioquin Diabolo perindè credendũ, ac Deo, stulto, ac viro sapienti, mendaci, ac veraci. Verúm de his plura in meo tractatu de Christianorum Catholica credendi regula, quam brevi (si Deus concesserit) evulgabo.

Rogo autém Biblistas omnes, ne mihi obtundant aures, redeundo ad ipsorum *lanam caprinam*, *pilos caprorum*: Quod videlicèt credant Deo loquenti per verbũ scriptum. Quod credant Concilijs consentientibus verbo Dei scripto. Quod verbum

Dei

Dei ſcriptum ſit clara lucerna pedibus noſtris. Quod verbum Dei ſcriptum ſe ipſum explicet per collatos ad invicém textus Hæc enim, & ſimilia, in negotio fidei, undé æternitas, totiès repetita; ſic me Deus amet; ut redolent eximiam mentis ſimplicitatem. Abſit à fide Chriſtiana, quod ejuſmodi diſputationes innoteſcant philoſophis infidelib⁹, haud enim dubium, quin illi averſarentur Chriſtianos velút homines dementatos. Vale ergò mi Johannes, & ſi hiſce tua reſponſione ſecundò occurrere cogitas, quæſo exuas illam mentis ſimplicitatem, dico *ſimplicitatem*, ne alio vocabulo te offendam, quem amo in Chriſto; cui honor, & gloria.

APPENDIX.

HAbet meum Opusculum de Acatholicorum regula credendi Præfationem, Tractatum, & Conclusionem, hæc omnia examinantur á Johanne Majore, & (ipso teste) confutantur; Ego paucis animadverti in hanc præsumptam confutationem, at verò innumera dissimulavi, quæ dicere potuissem, ac debuissem, si mihi constitutum esset, non quæstionem capitalem in publicā utilitatem dirimere, sed privatos errores Johannis Maioris indicare, ac corrigere. Id verò nō libuit, nec per alias meas occupationes licuit; tamèn rogatus, hac appendice edo specimen aliquod eius animadversionis, quam dare possem, si vellem; at citrá acerbitatem, qua utitur Major, quam haud puto ipsi Majori per omnia placuisse. Sæpiùs

nos, & pœnitet, & pudet dictorum, & factorum.

Animadverto itaq; in eam Johãnis Majoris confutationem, quam facit de prima periodo meæ præfationis, videlicét de hac:

Hac ætate omnes Christiani credunt Deo, credunt Christo, credunt & sacris literis; & tamèn scinduntur in duas classes.

Tu verò, amice Lector, ex confutatione primæ hujus periodi, & ex mea animadversione in hanc cõfutationem, potes conjecturam capere totius examinis facti á Majore, & animadversionũ, quas ego, si vellem, edere possem.

Nec mora, in aciem redeo, leui certamine pugnaturus cùm Majore.

Quid sentis Johannes de illa prima periodo? pono tua formalia verba pag. 101.

ARGVMENTVM.

& Dispositio Libri Valeriani.

Constat iste tribus partibus Proemio, seù Præfatione ἐργασία seù Tractatione. Epilogo seù Cōclusione. In Præfatione ad Lectorem, Auctor duas Christianorum de sensu scripturæ dissentientium opiniones, simulq; scopum, ac modum, quo sententiam suæ, & cæterorum Pontificiorū contrariam, ad absurda velit deducere, proponit.

In tractatione, primùm de regula credendi pauca præmittit, consensum, & dissensū, qui circá illam suæ, & diversæ fidei hominibus intercedit antitheticé refert, utrorumq; mentem, instituta comparatione latiús edisserit, & τὸ κρινόμενον reppetit cap. 1. Deindè eorum, quos Biblistas nuncupat, sententiam in distinctas propositiones deducit, & resolvit cap 2. Deniq; sequentibus capitibus, sententiam adversæ parti à se malè tributam pejoribus consequentijs, ijsq; variis, & pluribus onerare, & possundare contendit.

In Epilogo, animum Monacho dignum prodit, dum, & suas, quas sacris literis, per viginti sex annos impendit operas, & pre-

ces, quas octonis horis quotidié continuavit, insolentiús jactitat, hastam audaciús vibrat, & contrà sentientes ad certamen confidentiús provocat.

EXAMEN, & Castigatio Præfationis.

TRia occurrunt à Valeriano hic acta. 1. de comuni Christianorum circá credendæ consensu. 2. de eorundem in quæstione de intellectu scripturæ dissensu. 3. de Auctoris in refutandis nobis proposito. Singula ordine nobis excutienda.

Sectio Prima.

AD consensum quod attinet, quem omnibus hujus ætatis Christianis tribuit Valerianus, mali, & infausti ominis loco habendum, quod in primo statim limine multis modis impingit. Nam, ut Grammaticæ particulæ omißionem, cui in apodosi vox tamèn respondet, ad Prisciani ablegemus tribunal; habet

habet hic quod desideret, & improbet Historicus, quod Logius, quod Theologus.

Historicus *duo. quorum unum, quod* τὸ *credere Christo, & scripturis non fuerit restringendum ad Christianos, qui sunt hac ætate, cùm pertineat ad omnes omnium ætatum Christianos, qui nisi credidissent Deo, Christo, & Scripturis sacris, ne quidèm nomine hoc digni fuissent. Alterum, quod credatur à nonnullis Christianorum, hac ætate, præter enumerata, etiàm lumini naturæ, & ratiociniјs, unde dicunt;* Nil in Ecclesia docendũ, & credendum, quod rationi repugnet: Fidem non adversari rationi, nec rationem fidei.

Historico succedit Logicus, *qui ex dictis infert esse insufficientem credendorum enumerationem* καὶ ἐλλειπὲς τῆς διαιρέσεως *2. latere æquivocationem in appellatione sacrarum literarum, quas de libris tantùm Canonicis accipiunt Christiani quidam, quoties de doctrina, & fide, non de disciplina, & moribus disceptatur. Alij verò, quos intér, & Valerianus de cæteris quoq; libris,*

qui

qui Antipontificijs sunt Apocryphi. 3. vel homonymiam subesse in voce Christiani, dari enim Christianos, qui nomine solùm isto gaudeant, dari qui rem quoq; poßideant, vel Valerianum non loqui de PseudoChristianis, sed veris, qui sunt, quod esse dicuntur. 4. Iudicium Valeriani magna laborare ἀῤῥωςία καὶ ἀδιακρισία dum neque ipsū τὸ credere, neq; objectum ejus distinguit, de quo in praecognitis membro 7. & 8. 5. Contradicere Praefationi Couclusionem, ibi Christianorum nomen concedi nostratibus, hic denegari.

Logicum sequitur nostrae partis Theologus, & stricto gladio Valerianum excipit.

1. Argumentum: Quicunq; credunt Deo, Christo, & sacris scripturis, illi Valeriano sunt Christiani, & quidèm veri siuè CatholicoPapani sint, siuè Antipapani. Vtrisq; enim sinè aequivocatione (uti de candore ejus mihi polliceor,) & nomen, & difinitio Christiani à Valeriano aßignantur pag. 3. 5. 6. Nostrates credunt Deo &c. Ergò.

Quicunq; sunt veri Christiani, penès illos

illos est Ecclesia vera, Catholica, Apostolica, seu intér illos est cœtus baptisatorum, & fidelium. Nostrates sunt veri Christiani. Ergo. Vide in præcognitis membr 1. 2. 3.

2. Argumentum: *Quicunq; in re Theologica æquivocationibus utitur, ille ἀθεολογεῖ & peruersè agit. Valerianus sivè sciens, sivè inscius, utitur æquivocationibus, ut à Logico demonstratum. Ergo.*

3. Argumentum: *Quicunq; pro diversis habet credere Deo, & credere Christo, ille in actu, & complexu fidei, Deum à Deo separat; contrà illud quod Salvator ait Iohan. 14. ℣. 1. Creditis in Deum, & in me creditis. Valerianus pro diversis habet. Ergò.*

4. Argumentum: *Quicunq; eandem fidem sacris habendam literis dicit, quæ Deo, Christoq; debetur, ille contrarius Spiritui, styloq; prophetico, & Apostolico, metitur fidem, & τὸ credere tantummodò assensu, & approbatione veri. Priús dicit Valerianus. Ergò quadrat in eum, & posterius.*

5. Argumentum: *Illa fides (seu τὸ credere)*

dere) est Christianorum Catholicorum, per quàm solùm ipsi, & ab infidelibus, qui foris, & ab hæreticis, atq; impijs, hypocritisq; intùs qui sunt, secernuntur, & æternum salvantur. Per fidem Valeriani, seu τὸ credere scripturis, nec discernuntur fideles ab infidelibus, & hæretciis, neq; veri Christiani à falsis, neq; salvantur qui salvantur. Ergo.

6. Argumentum: *Quicunq; alitér de fide loquitur, & sentit, quàm Symbolum Apostolorum, ille neq; Christianè, neq; Catholicé loquitur, neq; credit, sed errore imbutus fallitur, si per ignorantiam; fallit, & alios secum errore implicare studet, si sciens, & mente deliberata alitèr loquitur. Valerianus hoc fecit. E.*

Illud enim dicit: Credo in Deum Patrem: Credo in Jesum Christũ. *Valerianus, qui forsàn aliquid altiùs sapit, inquit: Credo Deo; credo Christo; vide membrum 7. & 8. in Proleg. Quod si credere Deo, & sacris literis, Christo spreto, facit Christianum, utiq; Christianus oportet fuerit, & Agrippa, qui Deo, & Prophetis credidit. Act. 26. ℣. 27.*

7. Argu-

7. Argumentum: *Qui perinde credit sacris literis, atq; Christo, ejus fides nihilò melior fide malorum, & diabolorum; neq; enim hi laudem veritatis, vel scripturis, vel Deo derogant Math. 8. ℣. 29. Mar. 3. ℣. 12 Valerianus hoc facit. E.*

8. Argumentum: *Qi in vestibulo statim sententiam, & suæ, & adversæ partis sciens, volensq; tenebris involuit, ille fide agit non usq; adeò bona. Valerianus commisit prius. E.*

Nàm suæ partis homines non credunt sacris literis, quatenùs sacræ, & à Deo auctore profectæ, sed quatenùs à Pontifice expositæ, & sensu animatæ. Nostræ quoq; partis sententiam peruersè tractat, nec enim, quãdò de regula credendi agimus, quamvis fidem, seu quodcunq; credere intelligimus; sed illud maximè, quod cùm sit divinæ, & revelatæ veritatis, prætér assensum mentis, fiduciam quoq; cordis, vitam in morte sperantis, complectitur. Credunt enim Christiani non solùm Deo Patri, & Christo Filio, & Spiritui sancto; sed etiám in Deum Patrẽ,

in Christum, in Spiritum Sanctum, & quāvis sacris credant literis, tamen non credūt in sacras literas, sed ijs cōdecefacti, spem, & fiduciam suam in Deum vivum collocant. Psal. 27. ℣. 1. & 2. Dominus est lux, & salus mea, quem timebo. *Psal. 118. ℣ 8. Bonum est &c.*

9. Argumentum: *Qui sibimet ipsi cōtradicit, ejus judicium non est intelligens. Valerianus hoc facit. E.*

Nos enim in Praefatione, & in primo capite in Christianis numerat, in conclusione de illorum communitate exterminat p. 55. §. at sinamus.

Hæc est tua Confutatio.

Sequuntur meæ animadversiones in tuam castigationem.

Prima.

Procemio, seu Praefatione ἐργασία seú tractatione. Epilogo, seú conclusione.

Videris Johannes affectare laudem boni Grammatici, & dùm in gravissima disputatione, desilis ad hæc infima, vix refers animum fastidientèm nugas, serijsq; insistentem. In

II.

In Ephilogo animum Monacho dignum prodit.

Plures fuêre Monachi, quos, haud dubium, tu laudas: puta Basilium, Nazianzenum &c. cur ergò meum animũ, quem insolentiæ, & audaciæ accusas, dicis esse monacho dignum?

III.

Dum, & suas, quas sacris literis, per 26. annos, impendit operas; & preces, quas octonis horis quotidiè continuavit, insolentiùs jactitat.

Apud nos est maxima Monachorum multitudo. Illa, quam mihi imputas, jactãtia, est, tuo judicio, Monacho digna. Non ergò est insolens, sed frequentissima. Sempér cauté loquendũ, mi Johãnes, sed tùm maximè, cúm editis libris, alij graviús culpantur.

IV.

Jactitat.

Est frequentativum à verbo *iacto*. Hoc autèm verbũ *jacto* est frequenta-

tivum à verbo *Iacio.* Si dixiſſes *Ia-ctat*, eo ipſo ſignificaſſes, quod Valerianus ſua ſtudia, & preces frequétér jacit in publicum, ſeú effert.

Cum verò dicas *Iactitat*, innuis, quod frequentiſſimè meas preces, & ſtudia in gloriam meam evulgem. Perlege totum meum librum, non depræhendes unquàm me fuiſſe cõmemoratum mea ſtudia, & preces, niſi ſemèl. Ergò nõ jactitavi. Sed nec jactavi, maximé cùm nullam exindè mihi gloriam quæſiverim apud Catholicos, quibus nil novi, quod Monachus octonis horis interdiù, noctùq; oret; & ſacris literis ſtudeat. Id norunt eſſe pietatem Monacho dignam, & Monachis conſvetam. At veſtram gratiam fortaſſis eà ratione inire ſperavi? Scilicet.

Vide meum textum in concluſione, & (ni indulgeas animo ad convicia prono) videbis, me neceſſitate argumenti, quod tractabam, eó fuiſſe addu-

adductum, ut dicerem, me spatio annorum 26. præmissa oratione, consulvisse Spiritum Sanctum, ex sacris literis.

Oportebat ergò, te vel intellexisse, quæ dicis, vel intellexisse, quæ ego dico. Mihi crede, ò Johannes, quod Charitas non cogitat malum.

V.

Hastam audaciùs vibrat, & contrà sentientes ad certamen confidentiùs provocat. Ille dicitur audere, qui credens se posse malum, quod aversatur, propulsare, nil veretur difficultates, quæ id prohibent.

Ego credidi meas consequentias esse inseparabiles ab illa credendi règula Biblistarum, quam cap. 2. in quatuor assertiones resolvi. Tantidèm tu tibi conscius es; vix enim negasti ex meis antecedentibus sequi absurda, quæ ego intuli: sed in eo duntaxàt gloriaris, quod non ea cõsequantur ex tuis. Cur ergò audaci-

am mihi exprobas??

VI.

Mali, & infausti ominis loco habendum.

Levitèr ominaris, mi Johãnes, ut infrà animadvertere poteris. Abominantur prudentes leves ominatores; at videamus undè omnem capias, nimirúm, ego in mea Præfatiuncula pecco, ut Gramaticus, ut Historicus, ut Logicus, ut Theologus; suprá peccavi, ut Monachus. O Valerianum miserum. A planta pedis usq; ad verticem capitis non est sanitas in eo.

VII.

Nám, ut Gramatica particula ommißionem, cui in Apodosi vox tamèn respondet, ad Prisciani ablegemus tribunal.

Supponis, me in illis verbis: *Hac ætate omnes* &c. usum fuisse schemate, seù dicendi figura, quam Græci apodosin vocant; cujus membra per illam particulam *tamén* non bené connecti repræhendis. Nego, meam orationem habere, vel umbram apodosis,

dosis, cùm subsequentia orationis membra non respondeant ullo modo singula singulis. Habet prior pars meæ orationis, quam malè apodosin dicis, tria membra:

Christiani credunt Deo.
Credunt Christo.
Credunt, & sacris literis.

Mea verò immediatè subsequens oratio, non habet alia tria membra, quorum singula singulis præfatis tribus respondeant: vide textum. Imò illis prioribus tribus membris succedit immediatè hæc divisio multitudinis Christianorum in duas partes. *Et tamèn scinduntur in duas classes- Vna verum &c.* quæ divisio connectitur cùm superiore parte periodi per illam particulam: *tamèn:* quæ apposité ad meum sensum ponitur. Ergò nodum in scirpo quæris, dùm apodosin in mea perspicua oratione notas, & carpis.

VIII.

Historicus duo, quorum unum, quod τὸ credere Christo, & scripturis non fuerit restringendum ad Christianos, qui sunt hac ætate. &c.

Accessisti meum librum, non indagaturus, si quam habet doctrinæ veritatem; sed castigaturus, quæcunq; vel levissimam referunt erroris cujuscunq; umbram; vide quàm allucineris.

Omni ætate, omnes Christiani credidêre Deo, credidêre & sacris literis; sed non omni ætate, omnes Christiani scindebantur in illas duas classes, in quas hac ætate scinduntur. Nā præsumpta à singulis privata assistentia Spiritus sancti, & privatum judicium de omni doctrina fidei, non quavis ætate, sed hac quám maximé peslundat Christianam doctrinam. Cur ergò repræhendis meam divisionem? quasi verò nobis non liceat cōsiderare coætaneos Christianos, & illos

illos in membra diſtinguere, in quæ non poterant ſæculis præteritis dividi.

IX.

Alterum, quod credatur à nonnullis Chriſtianorum hac ætate, præter enumerata, etiam lumini naturæ, & ratiocinijs. Imò reperias Chriſtianos, qui multa credant Turcis, Judæis, Sagis, Dæmonibus. At inquies: iſtis non credunt Chriſtiani, quà Chriſtiani. Cōcedo, & addo, quod Chriſtiani aſſentiuntur lumini naturæ, & ratiocinijs non quà Chriſtiani, (nam & Ethnici hoc faciunt) ſed quà animalia rationalia, non bruta; nec tamén, ut tu dicis, credunt lumini naturæ, & ratiocinijs, ſed aſſentiuntur. Puto non ignoras, quod is, qui credit, movetur ab auctoritate dicentis; lumen verò naturæ, rem per cauſam patefacit, vel per effectum.

X.

Hiſtorico ſuccedit Logicus.

Quinq; errores contrà Logicam notasti in quinq; his verbis. 1. *Christiani*. 2. *credunt*. 3. *Deo*, 4. *Christo*, 5. *Sacris literis*. ó Lynceos oculos! Deus quoq; in Angelis suis reperit pravitatem: indulsisset tantillum Major Magno minori. Puto irasceris mihi.

Primò tuus Logicus accusat meam insufficientem credendorum enumerationem, quam insufficientiam verbis græcis explicas.

Sed dic mihi, undè accepisti, quod ego in illis verbis credendorum enumerationem instituam? sensus meus est obvius non cavillantibus, imò, & non imperitè cavillantibus.

Scilicét, tametsi hac ætate omnes Christiani credant Deo, Christo, sacris literis; tametsi, inquam, in hiscè cōveniāt, dissentiunt tamén in regula inquirendi verum sacrarum literarum sensum.

Quæ est ergó ista enumeratio, quam insufficientem dicis?

Secun-

XI.

Secundò objicit tuus Logicus.

Latere æquivocationem in appellatione sacrarum literarum &c.

Dic mihi, Johannes, est nè æquivocatio, ubi id, quod de multis affirmatur, univocé dicitur?

Da mihi Christianum unum, de quo non sit verum affirmare, quod credat veris sacris literis univocé acceptis. At dices, non singuli credunt omnibus sactis literis; & ego tibi respondeo, meum textum non habere, quod omnes Christiani credant omnibus sacris literis.

Sed tuus Logicus eo titulo me arguit, quod non omnes literæ, seù scripturæ, quas quidam Christiani putant sacras, sint sacræ. Sed neq; ego dixi, quod omnes Christiani credant illis solis scripturis, quæ veré sunt sacræ, neq; proposita quæstio in meo libro exigebat ejusmodi distinctiones, eò enim contendo in il-

lo libello, ut certam credendi regulam assequamur, undé intér alia dignoscere nobis liceat scripturas sacras, à non sacris.

XII.

Vel homonymiam subesse in voce: Christiani: *dari enim Christianos, qui nomine solo isto gaudeant, dari, qui rem quoq; possideant.*

O acumen! Novi plures, quibus hæc vox *Christianus* est nomen proprium, hos forttassis excipit meus Johannes? Nequaquàm, sed optat, quod ego distinguam PseudoChristianos, à veris Christianis: & ego id quàm maximè prætendo in meo libello; at ni priùs constiterit de vera regula credendi, in vanũ secernimus veros à falsis Christianis: cúm tamén tuus logicus mihi præcipiat hanc distinctionem in prima linea meæ Præfationis. Indulsisset mihi tantum otij, quantum est à mea præfatiuncula ad tractatum, minùs reformidaré tàm sæverum Censorem. Iudi-

XIII.

Iudicium Valeriani magna laborare ἀῤῥωσία καὶ ἀδιακρισία dum neq; ipsum τὸ credere, neq; obiectum eius distinguit.

Vereor multum, ne quamplurimi existiment, te optimé fuisse assecutum meum sensum, & nihilominùs fingas eum esse tibi, meo vitio, obscurum. Consule Priscianum, si vis scire, quid sibi velit, credere Deo, credere Christo. Ego (ni velim ex Dictionario sensum meorum verborum tibi aperire) nescio clariús loqui: si dixissem: Credunt in Deum, habuisses rationem dubitãdi de meo sensu.

XIV.

Contradicere Præfationi conclusionem; ibi Christianorum nomen concedi nostratibus, hic denegari.

Fanaticos, mendaces, ac insanos in mea conclusione dixi illos, qui absurda à me objecta, existimant non esse absurda, sed sacris literis, & Spiritui Sancto consona; nullum non insa-

insanum puto, in tàm obscœnum labi errorem. Tu verò edito tuo libello, quid aliud facis, quàm quod te eximas à tàm gravi nota?

Ego itaq; in præfatione, vos omnes cathegoricè exemptos volo ab illa censura, quam in calce meæ conclusionis hypoteticé facio.

XV.

Logicum sequitur nostræ partis Theologus, & stricto gladio Valerianum excipit.

Prodeat dominus vester Theologus in hanc scenam satyricam (dixissem tragicam, si gladius ille esset ferreus) non stringit gladium, sed argumenta vibrat hic Theologus, non unum, aut alterum, sed novem; quibus adde alios meos errores, videlicèt quinq; à Logico, duos ab Historico, unum à Prisciano objectos, habebis septendecim, quos ego commisi in una, ac prima periodo; heù me confutatum, & castigatum! At audiamus Theologum disputantem.

I. Argu-

XVI.

I. Argumentum: *Quicunque credunt Deo, Christo, & sacris scripturis, illi Valeriano sunt Christiani, & quidèm veri, sivè Catholico Papani sint, sivè Anti Papani; utrisque enim sinè æquivocatione; uti de candore eius mihi polliceor, & nomen, & definitio Christiani à Valeriano assignatur. pag. 3. 5. 6. Nostrates credunt Deo &c. Ergò. Quicunque sunt veri Christiani, penès illos est Ecclesia vera, Catholica Apostolica, seu intér illos est cœtus baptizatorum, & fidelium. Nostrates sunt veri Christiani. Ergò.*

Tædet animam meam ejusmodi disputationis. Paucis respondeo. Hoc tuum argumentum in subsidium vocat meum candorem, et sinceritatem. En adsum: quid vis? Volo inquis, quod per me competat definitio hujus vocis, *Christianus*, illis, quos Christianos nominavi. Esto, sed nolo tu definias. Ego ero interpres meorum verborum. Illos in ea præfatione

tione Christianos nomino, qui Christum, ut Redemptorem venerantur; quoniám verò diversas cerno Christianorũ classes, mihi tempero à præcisa, & perfecta definitione Christiani, donéc regulã credendi certam, & infallibilem assequar, & per illam judicem, & distinguam veros Christianos á falsis, seù imperfectis Christianis. Consule tuum Logicum.

XVII.

2. Argumentum: *Quicunq; in re Theologica æquivocationibus utitur, ille ἀ θεολγεῖ, & perversè agit. Valerianus sivè sciens, sivè insciùs utitur æquivocationibus, ut á Logico demonstratum. E.*

Sunt verba, non sunt Argumenta. Vide suprà, quæ, de objecta æquivocatione, dixi.

XVIII.

3. Argumentum: *Quicunq; pro diversis habet, credere Deo, & credere Christo, ille in actu, & complexu fidei, Deum à Christo, & Christum à Deo seperat, contrà*

illud

illud creditis in Deum, & in me credite. *Quod Salvator ait Ioh. 14. ℣. 1. Valerianus pro diversis habet. Ergò.*

Major indiget distinctione. Minor negatur, nec aliundè potes probare, quàm ex illis verbis; *Omnes Christiani credunt Deo, credunt Christo.*

Ego sanè, mi Johannes, *credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli, & terræ, & in Iesum Christum*, nec tamén divido Christum à Deo. Quid cogitas? Quæ scribis?

XIX.

4. Argumentum: *Quicunque eandem fidem sacris habendam literis dicit, quæ Deo, Christoque debetur, ille contrarius Spiritui, styloque Prophetico, & Apostolico metitur fidem, & τὸ credere tantummodò assensu, & approbatione veri. Prius dicit Valerianus E. quadrat in eum, & posterius.*

Ludis circà *fidei*, & *credere* variam acceptionem. Judicium de veritate articulorum fidei, *fidem* nomino. Dilectionem ex fide, quâ Deum diligi-

mus, *Charitatem* nomino. Fiduciã gratiæ, & gloriæ, per Christum à Deo consequendæ, *Spem* nomino; nimirùm tria hæc *fidem*, *spem*, *Charitatem* non confundo sub unica voce *fidei*, ut tu, sed distinguo, ut alij, quibus tu plurimùm defers: Vnde ergò concludis, me esse *contrarium Spiritui, Styloq; prophetico, & apostolico?* scilicèt, quod tria à parte rei distincta non sub una voce *fidei* confundo, ut tu, sed tribus vocibus distinguo. Es, mi Johannes, nimiùm præceps in tuis argumentis, & sæverus in tuis convicijs.

XX.

5. Argumentum: *Illa fides (seu τὸ credere) est Christianorum Catholicorum, per quam solùm ipsi, & ab infidelibus, qui foris, & ab hæreticis, atq; impijs, hypocritisq; intùs qui sunt, secernuntur, & æternũ salvantur. Per fidem Valeriani, seu τὸ credere scripturis, nec discernuntur fideles ab infidelibus, & hæreticis, neq; veri Christiani*

vani à falsis, neq; salvantur, qui salvantur. E.

O bellum argumentum! tu tibi, confingis confusam definitionem fidei, &, quasi ea definitio foret mea, exindè argumentaris contrà me; cum tamèn scias me illis vocibus, *fides, credere*, uti in sensu longè diverso.

Sanè miror, neq; satis assequor, cujus rei gratia eiuscemodi abortivis argumentis tot folia impleas.

XXI.

6. Argumentum: *Quicunq; alitèr de fide loquitur, & sentit, quàm Symbolum Apostolicum, ille neq; Christianè, neq; Catholicè loquitur, neq; credit, sed errore imbutus fallitur, si per ignorantiam; fallit, & alios secum errore implicare studet, si sciens, & mente deliberata alitèr loquitur. Valerianus hoc facit. Ergò.*

Illud enim dicit: Credo in Deum Patrem: Credo in Iesum Christum. Valerianus, qui forsàn aliud quid sapit, inquit: Credo Deo, credo Christo; vide membro 7. & 8. in

Proleg. quod si credere Deo, & sacris literis, Christo spreto, facit Christianum, utiq; Christianus oportet fuerit Agrippa, qui Deo, & Prophetis credidit Act. 26. ℣. 27.

Conceditur Major: at undè probas Minorem?

Illud enim dicit: Credo in Deum Patrem: Credo in Iesum Christum. Valerianus qui forsàn aliud quid sapit, inquit: Credo Deo. Credo Christo.

Animal es, ò Johannès, at non propterea nego te rationale, imò te assero risibilem. Christiani credunt Deo? credunt Christo; Ergò non credunt in Deum? non credunt in Christum? negatur consequentia, quod si non capis, cōsule tuum logicum.

XXII.

Sed quorsùm illud?

Valerianus, qui fortaßè aliud quid sapit.

Facilè admittis suspicionem immensæ iniquitatis de me; si me in Christo dili-

diligeres, Charitas prohiberet eam suspicionem; nàm Charitas non cogitat malum.

XXIII.

7. Argumentum. *Qui perindè credit sacris literis, atq; Christo; ejus fides nihilò melior fide malorum, & Diabolorum; neq; enim hi laudem veritatis, vel scripturis, vel Deo derogant. Math. 8. ℣. 29. Mar. 3. ℣. 12. Valerianus hoc facit. Ergò.*

Vt video, concedis, nos debere credere sacris literis, at Christo nequaquã, sed in Christum; nempè tuam fidei definitionem haud bonam, velim, nolim mihi imputas; & argumentaris contrà me, perindè ac si tecum convenirem in definitione fidei; hinc concludis, meam fidem nihilò meliorem esse fide malorum, ac diabolorum.

Iterùm atq; iterùm admiror tuam patientiam, & tuum conviciandi pruritum, in corradendis ejusmodi argumentis, & convicijs:

XXIIII.

8. Argumentum: *Qui in vestibulo statim sententiam, & suæ, & adversæ partis sciens, volensq; tenebris involuit, ille fide agit non usq; adeò bona. Valerianus commisit prius. Ergò.*

Nàm suæ partis homines non credunt sacris literis, quatenùs sacræ, & à Deo auctore profectæ, sed quatenùs à Pontifice expositæ, & sensu animatæ. Nostræ quoq; partis sententiam perversè tractat, nec enim quando de regula credendi agimus, quamvis fidem, seu quodcunq; credere intelligimus, sed illud maximé, quod cum sit divinæ, & revelatæ veritatis, præter assensum mentis, fiduciam quoq; cordis, vitam in morte sperantis complectitur. Credunt enim Christiani non solùm Deo Patri, & Christo Filio, & Spiritui Sancto; sed etiàm in Deum Patrem, in Christum, in Spiritum Sanctum, & quamvis sacris credant literis; tamèn non credunt in sacras literas, sed ijs condocefacti, spem, & fiduciam suam in Deum vivum collocant. Psal. 27. ℣. 1. & 2. Dominus est lux, & salus mea, quem time-

bo. Psal. 118. ℣. 8. Bonum est &c.

* Heus tu, ò Johannes quorſum illud?

Nam tuæ partis homines, non credunt ſacris literis, quatenùs ſacræ, & à Deo auctore profectæ, ſed quatenus à Pontifice expoſitæ, & ſenſu animatæ.

Haud credo in Saxonia reperiri tàm ſtolidos aſinos, qui tibi credant hæc, & alia ejuſmodi mendacia, quibus reſperſiſti tuam confutationem.

verum ò præclaram tuam lucem, qua fugaſti tenebras, quibus ego ſciens, & volens involui meam ſententiam, ſub his verbis.

Hac ætate omnes Chriſtiani credunt Deo, credunt Chriſto, credunt & ſacris literis; & tamèn ſcinduntur in duas claſſes.

Hic á me peccatum eſt ſemèl in Grammatica, bis in Hiſtoria, quinquiès in Logica, noviès in Theologia. Inſufficienti enumeratione, æquivocatione, homonymia ἀῤῥωσία καὶ ἀδιακελσία, & contradictione ſenſum illorum verborum velavi. Ego proptereá ἀθεολογῶ, & per-

& perversè ago, separo Christū à Deo; sum contrarius Spiritui, styloq; prophetico, & apostolico; fidem habeo nihilò meliorem fide diabolorum; hæreticos, cúm Catholicis; fideles confundo cùm infidelibus; alitèr de fide loquor, quàm Symbolum Apostolicū; demùm fide ago non usq; adeò bona; ac tandèm per 9. Argumentum meum Judicium non est intelligens.

Ego verò, mi charissime Johannes, testor Deum, te puto virum ingenuum, bonæ indolis, eruditum, Christo, citrá veram fidem, devotum, moralitèr bonum, mihi non inimicum; licét zelo præsumptæ veritatis plús æquo acerbum mei Opusculi castigatorem. Vale.

Menda, quæ irrepſerunt itá corrige benigne Lector: Legendum enim.

Pagina 3. linea 6. *Duæ* pro *Duo*

P. 7. l. pen. *eſt communis Propoſitio: Credo* pro *eſt, Comunis propoſitio Credo &c.*

P. 8 l. 5. *ſeù Fidem. Hos* pro *ſeu fidem hos &c.*

P. 11. l. 9. *damnent* pro *damnet*

P. 13. l. 14. dele *á ſacris literis*

P. 34. l. antepen. *ſumus* pro *ſummus*

P. 45. l. 26 dele *a*

Ibidèm l. ult: dele *ſed*

P. 49. l. antepen. *tenetur* pro *tenentur*

P. 58. l. 18. *vocationem* pro *vacationem*

P. 62. l. 18. poſt *brachio* addendum *quandoq;*

P. 67. l. 5. *Eunomius* pro *Eunomicus*

P. 73. l. 11. *regulam* pro *regula*

P. 80. l. 9 *deſtituto* pro *deſtitutus*

P. 86. l. 16. *circumvolitans* pro *ciramvolitas*

P. 97. l. 8. dele. *quàm*

P. 93. l. 2. *cum ſit* pro *ſed eſt*

P. 129. l. 1. *cum ſit* pro *ſed eſt*

P. 133. l. 5. *idiomata* pro *idomata*

P. 139. l. pen. *reflexione* pro *reflectione*

P. 140. l. 9. *coaleſcerent* pro *coaleſcant*

P. 199. l. 3. *reſpondeat* pro *reſpondet*

P. 150. l. 13. *tranſiliatis* pro *tranſilitatis*

P. 159. l. pen. *Centuriæ* pro *Certuriæ*

P. 162

P. 162. l. 15. *Achristianismum* pro *Atheismum*

P. 169. l. 19. *à mille sexcentis* pro *à sexcentis*

P. 171. l. 5. *Conciliis* pro *Conciliis*

P. 171. l. 1. *quæsiverit* pro *quæsiverint*

P. 178. l. 9. *omnis* pro *omis*

P. 181. l. 2. *repetuntur* pro *reperiuntur*

P. 196. l. 9. *à me fuisse commemorata* pro *me fuise commemoratum*

P. 198. l. 1. *exprobras* pro *exprobas*

Ibidèm l. 7. *omen capias. nimirum* pro *omnem capias, nimirum*

P. 200. l. 5. *accessisti ad meum* pro *accessisti meum &c.*

P. 204. l. 14. *ut ego* pro *quod ego*

P. 208. l. 14. ἀθεολογεῖ pro ἀθεολγει

P. 212. l. 13. *credunt Deo* pro *credunt Deo?*

P. 89. l. 16. post illa verba: *de hac fide loquor* adde *sivè fides, & credere accipiantur, ut significant habitum, sivè ut significant actum.*